233.2
J174

PATRUM ANTENICÆNORUM
DE VERBI CONSUBSTANTIALITATE DOCTRINA.

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI FRANC. XAV. DE RAM,

PRÆLATI PROTON. APOST. AD INSTAR PART., S. C. IND. CONSULT., ECCL. METROP. MECHL. ET PARIS. CAN. HON., S. THEOL. ET SS. CAN. DOCT., ORDD. LEOP. AQUIL. RUBR. TERT. CL. ET SAX. ERNEST. EQ., ORDD. CHRISTI ET ISAB. CATH. DEC., ACAD. CATH. ROM. REG. BRUX. ET MONAC. SODALIS,

ET CONSENSU FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS IN S. THEOLOGIA

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,

PUBLICE PROPUGNABIT

FRANCISCUS-JOSEPHUS JADOT, RUPEFORTIENSIS, PRESB. DIOEC. NAMURCENSIS, S. T. LICENTIATUS.

Diebus X, XIII et XIV mensis Julii, ab hora X ad I, an. MDCCCLVII.

LOVANII
EXCUDEBANT VANLINTHOUT ET SOCII,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

ALMA COLLEGE
233.2
LIBRARY
J174
Alma, California

27308

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

NICOLAO JOSEPHO DE HESSELLE,

PIISSIMO ATQUE VIGILANTISSIMO
ECCLESIÆ NAMURCENSIS EPISCOPO,
SS. D. N. PRÆLATO DOMESTICO,
SOLIO PONTIFICIO ASSISTENTI,
LEOPOLDINI ORDINIS EQUITI,

in filialis amoris gratique animi testimonium;

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO, PRUDENTISSIMO

PETRO FRANCISCO XAVERIO DE RAM,

PRÆLATO PROTONOTARIO APOSTOLICO AD INSTAR PART.,
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ RECTORI MAGNIFICO;

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXIMIO

JOANNI THEODORO BEELEN,

SS. D. N. PII IX CUBICULARIO AD HONORES,
S. SCRIPT. ET LINGG. ORIENTT. IN CATH. ACAD. LOV. PROFESSORI,

ET

EXIMIO

JOANNI BAPTISTÆ LEFEBVE,

S. THEOL. IN EADEM ACADEMIA PROFESSORI,

hanc suam lucubrationem devotissimo animo

D. D. D.

Auctor.

PRÆFATIO.

Patrum antenicænorum de Verbi divini consubstantialitate doctrinam pro materia selegi inauguralis meæ dissertationis. Nam quum Verbi divini ὁμοουσία tale sit fidei nostræ dogma, ut in eo nitatur universum christianæ doctrinæ ædificium, jucundissimum mihi visum est occupari in inquirendo, quid antiquissimi Patres de eo docuissent. Atque hæc una causa fuit, cur hanc materiam potissimum seligerem.

Altera vero causa eaque præcipua mihi fuit recens quædam sacratissimi hujus dogmatis impugnatio. Multi enim nostræ ætatis rationalistæ tum in Germania, tum in Gallia, tum etiam in Belgio nostro, theoriæ, quam vocant, *progressûs continui* addicti, affirmare non dubitarunt, cum

reliqua fidei dogmata tum etiam dogma de Verbi consubstantialitate non fuisse hominibus a Deo patefacta, sed humani esse fetus ingenii. Quorum errorem Summus Pontifex, Pius IX, publicis litteris corrigendum judicavit : « Neque minori certe fallacia, inquit summus » Ecclesiæ Pastor in sua Encyclica IX Novembris 1846, » isti divinæ revelationis inimici humanum progressum » summis laudibus efferentes, in catholicam religionem » temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, » perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus » esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod huma- » nis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes » percommode quidem cadit, quod Tertullianus sui tem- » poris philosophis merito exprobrabat : *Qui Stoicum, et* » *Platonicum, et dialecticum Christianismum protulerunt* » (*De Præscript.* cap. VII). Et sane cum sanctissima nostra » Religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a » Deo hominibus patefacta, tum quisque vel facile intel- » ligit, Religionem ipsam ex ejusdem Dei loquentis aucto- » ritate omnem suam vim acquirere, neque ab humana » ratione deduci aut perfici unquam posse ». Pseudo-magistri, quos hic reprehendit Summus Pontifex, multam operam navarunt ut ostenderent, doctrinam de λόγῳ ὁμοουσίῳ primis Ecclesiæ sæculis informem, sensim ac sine sensu, philosophia lucem præferente, elaboratam fuisse (1).

(1) Sic inter alios Wegscheider, in suis *Institutionibus theologiæ*, Halæ 1833; Otto, *De Justini Martyris scriptis et doctrina*, Jenæ 1841; Saisset, *Essais sur la philosophie et la religion au XIX*me *siècle*, Paris 1845; Vacherot, *Histoire critique de l'école d'Alexandrie*, Paris 1846; ac nuperrime Laurent, *Etudes sur l'histoire de l'humanité*, Gand 1855.

Qua in re non tam novi quid dixerunt, quam potius vetera recantarunt. Nam quæ in medium attulerunt, ea, maximam certe partem, non sunt nisi sophismata quædam, quibus jam dudum Sociniani et nonnulli Protestantes primævæ ecclesiæ de consubstantialitate Verbi doctrinam deformare studuerant.

Ergo duces secutus scriptores, qui de hoc argumento tractarunt, ex antiquissimis monumentis ostendere conatus sum, ineffabile illud dogma, quod Concilium Nicænum solemniter definivit, ante hanc definitionem certa et inconcussa fide a Patribus constanter creditum fuisse atque prædicatum.

In hoc autem argumento tractando hunc ordinem secutus sum, ut primo loco agerem de iis, quæ ad statum quæstionis recte intelligendum facerent; deinde exponerem Patrum antenicænorum doctrinam de Verbi consubstantialitate eamque ab aggressionibus adversariorum vindicarem; ac denique ostenderem, illorum Patrum de Verbi ὁμοουσίᾳ doctrinam, ad rem ipsam quod attinet, nihil a Nicæni Concilii doctrina differre.

PROOEMIUM,

In quo agitur de notione vocis *consubstantialis*, et tractandæ quæstionis status explicatur.

Vocabulum *consubstantialis* ex duplici voce latina *cum* et *substantia* componitur respondetque Græcorum vocabulo ὁμοούσιος, quod ex duabus pariter voculis græcis ὁμοῦ et οὐσία constituitur; est autem ὁμοούσιος vox latine *ejusdem essentiæ*, *coëssentialis*. Itaque ὁμοούσιον proprie id significat, quod unam eamdemque cum alio essentiam seu naturam habet; vel, ut Dion. Petavii verbis utar, *unam substantiam sive naturam indicat, quæ in pluribus individuis una esse dicitur* (1). Atque hanc notionem huic vocabulo subjiciendam esse Patrum aliorumque scriptorum ecclesiasticorum testimoniis conficitur : *Quid est enim*, ait Athanasius (*de Synodis* n. 52), *ejusdem naturæ esse cujus Pater, nisi esse*

(1) *De Trinit.* lib. IV, c. V, n. XV. Cfr. etiam Tournely, *De Trin.* q. 7.

illi ὁμοούσιον? (1). Idem n. 53 : *Ergo,* inquit, *quod ejusdem naturæ est, etiam ὁμοούσιον est* (2). Nec aliter S. Basilius (*epist.* XXXVIII) : ὁμοούσιοι, inquit, *inter se sunt* (homines), *qui eadem essentiæ ratione designantur* (3). Est etiam apud profanos scriptores vox ὁμοούσιος hac notione usitata (4).

Verum, quod hic probe notandum est, vox ὁμοούσιος per se non declarat, utrum isthæc substantiæ unitas, quam exprimit, *numerica* sit, an vero *specifica;* proindeque ea vox ex æquo dici potest tam de iis quæ sola speciei unitate conjunguntur, quam de iis quæ unam eamdemque numero naturam habent (5). Hinc si vocem ὁμοούσιος, ex. g., hominibus applicaveris, unitatem specificam expresseris, atque hoc sensu vox illa ut plurimum, ne dicam semper, a scriptoribus profanis usurpata fuit. Si vero eam ad personas divinas transtuleris, adeoque adhibueris ad exprimendam Filii aut Spiritûs S. naturæ cum Patre communionem, prout catholici eam intelligunt, tum ea voce unitatem numericam significaveris. Doctrina namque catholica tradit, tres in Deo personas distinctas exsistere, quæ unam et eamdem numero naturam simplicissimam habent. Quod disertis verbis expressit auctor symboli quod ab Athanasio nomen habet, his verbis : *Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque con-*

(1) Τί γὰρ ἐστι τὸ οὕτως ὁμοφυὲς τῷ πατρί, ἢ ὁμοούσιον αὐτῷ; Opp. t. I, part. 2, p. 766. ed. Bened.

(2) Οὐκοῦν τὸ μὲν ὁμοφυὲς καὶ ὁμοούσιον.

(3) Εἰσιν ἀλλήλοις ὁμοούσιοι, οἱ τῷ αὐτῷ λόγῳ τῆς οὐσίας ὑπογραφόμενοι. Opp. t. III, p. 116. ed. Bened.

Alia testimonia videre est apud Petavium, de *Trinitate* lib. IV, cap. V; Bullum, *Def. F. N. Sect. II,* cap. I; N. Alex. *diss. de voce* ὁμοούσιος; Lamium, *diss. de rectâ PP. Nic. fide;* Ginoulhiac, *Hist. du dogme cath.* t. II, l. X. c. XV.

(4) Vide Bullum, l. c.

(5) Cfr. Petavium, l. c.

fundentes personas, neque substantiam separantes. Jam vero posteriori hac significatione vocem ὁμοούσιος Patres Nicæni in suo symbolo adhibuerunt, ad exprimendam Verbi seu Filii cum Patre absolutam essentiæ unitatem (1). Patet hoc non solum ex ipsis Concilii verbis (2), sed etiam ex ejus scopo, qui erat Arianorum damnatio; necnon ex testimoniis auctorum catholicorum, qui Synodi Nicænæ doctrinam postea exposuerunt (3). Atque eâdem illa significatione nos etiam vocem illam in hac dissertatione usurpabimus.

Porro vox ὁμοούσιος non solum essentiæ sive naturæ unitatem significat, sed simul etiam eorum, quæ esse ὁμοούσια declarantur, distinctionem connotat. Hoc cum jam ex illius vocabuli descriptione, quam supra dedimus, manifestum est, tum etiam inde constat, quòd non idem sibi, ut per se patet, sed alterum alteri ὁμοούσιον esse potest.

Ex his autem facile perspicitur, nomen illud, ubi ad

(1) Hoc impudenter negavit Wegscheider, *instt. theol.* § 89.

(2) Hæc sunt : Πιστεύομεν... εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί. Id est : *Credimus... in unum D. J. C. Filium Dei, genitum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, ὁμοούσιον Patri.* Ita apud Athan. *epist. de decr. Syn. N.*, Euseb. *epist. ad Cæsar.*, Theodor. *hist.*, lib. II, Socrat. *hist.*, lib. VIII.

(3) Suffecerit audire Athanasium, qui sic scribit (*de decr. Syn. N.* n. 20, tom. I, part. 1, p. 226) : *Quod spectat ad corpora,* inquit, *quæ inter se sunt similia, illa certe distare et procul a se invicem possunt abesse, ut accidit hominum liberis erga proprios parentes, quemadmodum de Adam et Seth, quem ille genuit, scriptum est, nempe similem illi fuisse secundum speciem suam. Verum cum Filii ex Patre generatio alia plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit substantiæ Patris,* sed dividi ab ea non queat, *cum item unum ipse et Pater sint....* semperque Verbum sit in Patre et Pater in Verbo.... *idcirco Synodus, ea re perspecta, eum esse ὁμοούσιον recte scripsit.* Aliorum testimonia vide apud Petav. et N. Alex. ll. cc.

Deum, prout eum catholici agnoscunt, traducitur, una cum substantiæ singularitate etiam personarum distinctionem connotare. Nam, uti notum est, nulla alia realis nisi personarum distinctio in Deo reperitur. Hinc factum est, ut veteres personarum illam distinctionem maxime prædicarent, unaque tam Arii quam Sabellii hæreses hac voce jugulari affirmarent. Audi Basilium de hac re disserentem : *Ceterum*, ait, *ipsa ea vox Sabellii quoque pravitatem corrigit : tollit enim hypostasis identitatem, et perfectam personarum notionem inducit. Neque enim quidquam sibi ipsi ὁμοούσιον est, sed alterum alteri. Quare præclare ac pie se habet illa vox, et hypostaseon proprietatem definiens, et naturæ sine ullo discrimine similitudinem demonstrans* (1). Basilio assentit Epiphanius, ubi dicit : *Particula illa ὁμοῦ non unum aliquem et singularem exprimit, sed in ὁμοούσιον voce duo quædam in eadem essentia perfecta significat, quæ nec a se invicem diversa, nec ab unitate sua sunt aliena* (2). Deinde post pauca ita pergit : *Ut serpens bituminis odorem refugit, aut cervæ halitum, aut gagatæ lapidis suffitum, aut styracis fumum ; sic Arius et Sabellius illam veritate constantem ὁμοούσιον professionem exosam habent.* Idem in *Ancorato : Fidei vinculum est ὁμοούσιον fateri*, ait. *Quo usurpando vocabulo Sabellii robur infringis. Non enim ὁμοούσιος vox singularem*

(1) *Αὕτη δὲ ἡ φωνὴ καὶ τὸ τοῦ Σαβελλίου κακὸν ἐπανορθοῦται· ἀναιρεῖ γὰρ τὴν ταυτοτητα τῆς ὑποστάσεως, καὶ εἰσάγει τελείαν τῶν προσώπων τὴν ἔννοιαν. Οὐ γὰρ αὐτό τι ἐστιν ἑαυτῷ ὁμοούσιον, ἀλλ' ἕτερον ἑτέρῳ· ὥστε καλῶς ἔχει καὶ εὐσεβῶς, τῶν τε ὑποστάσεων τὴν ἰδιότητα διορίζουσα, καὶ τῆς φύσεως τὸ ἀπαράλλακτον παριστῶσα. Epist. LII*, n. 3. Opp. t. III, p. 146 ed. Bened.

(2) *Τὸ δὲ ὁμοῦ οὐχ ἕνα πάλιν σημαίνει, ἀλλὰ ἀπό τοῦ ὁμοουσίου δύο σημαίνει τέλεια, ἀλλ' οὐκ ἀλλοῖα ἀλλήλων ἐστι, οὐδὲ ἀλλότρια τῆς αὐτῶν ἑνότητος. Adv. hær.* lib. II, t. II, hær. 47 vel 67, n. 70, p. 797 ed. Petavii.

hypostasim significat, sed subsistentem esse Patrem, subsistentem Filium, subsistentem Spiritum S. esse declarat. Porro qui ὁμοούσιον dicit, ab eadem divinitate non alienum facit, sed Deum ex Deo Filium, ac Deum Spiritum S. eadem divinitate constantem, non tres Deos exprimit (1). His demum accedit Ambrosius : *Recte ergo*, inquit, *ὁμοούσιον Patri Filium dicimus, quia verbo eo et personarum distinctio et naturæ unitas significatur* (2). Igitur præclare Bellarminus dixit, vocem illam divinitus excogitatam videri, ad contrarios Arii et Sabellii errores prosternendos.

Notioni autem quam vox ὁμοούσιος obtinet, ubi de Deo agitur, multum olim refragati sunt Ariani, nomen illud ad falsas interpretationes detorquentes (3). Alii nempe hac voce Sabellianismum, hoc est, unitatem personæ in Deo, significari contendebant; alii dicebant, ea voce declarari substantiam personis priorem, quæ ipsis postea communicaretur; alii demum partitionem sive divisionem substantiæ divinæ inter tres personas illa voce demonstrari affirmabant. Sed hi omnes a Patribus orthodoxis egregie profligati fuere (4).

Multas præterea difficultates contra vocem ὁμοούσιος iidem hæretici excitarunt, quas omnes, utpote jam dudum a catholicis protritas ac oblivioni traditas, silentio præteribimus. Duæ tamen sunt, de quibus hic dicere operæ

(1) Σύνδεσμος δὲ τῆς πίστεως ὁμοούσιον λέγειν· ἐὰν γὰρ εἴπῃς τὸ ὁμοούσιον, ἔλυσας Σαβελλίου τὴν δύναμιν. Οὐ γὰρ ὁμοούσιον μιᾶς ὑποστάσεως ἐστί δηλωτικόν· ἀλλὰ καὶ ἐνυπόστατον σημαίνει τὸν Πατέρα. καὶ ἐνυπόστατον τὸν Υἱόν, καὶ ἐνυπόστατον τό Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ὅταν δὲ τὸ ὁμοούσιον λέγῃ, οὐκ ἀλλότριον τῆς αυτῆς θεότητος σημαίνει, ἀλλὰ Θεὸν ἐκ Θεοῦ τὸν Υἱὸν, καὶ Θεὸν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τῆς αὐτῆς θεότητος, οὐ τρεῖς Θεούς. N. VI, p. 10 seq.

(2) Lib. III *de Fide* cap. XV, p. 519. Opp. t. II, ed. Bened. Maur.

(3) Cfr. S. Hilar. lib. *de Synod.*

(4) Videsis Petav. lib. c.

pretium fuerit, propterea quod haud ita pridem a D. Saisset instauratæ fuere. Nimirum scriptor gallus, denuo docuit : 1° vocem illam ex ore hæretico primum esse profectam, ac 2° eam olim fuisse a Patribus Synodi Antiochenæ expresse rejectam (1). Quod quam falsum sit, ex sequentibus patebit.

Et ad prius quod spectat, edicat nobis D. Saisset, undenam noverit id quod affirmat? Nam ipse, quod notandum est, nullum argumentum, ut fere solent facere rationalistæ, ad suam assertionem probandam adduxit. Num fortassis ex aliquo veterum testimonio id didicerit? Minime gentium. Non aliunde illud didicit quam ex Sandio aut ex aliis ejusdem furfuris hominibus, qui idipsum olim somniarunt, neque ullum unquam ad id probandum argumentum afferre potuerunt. Provocarunt quidem ad S. Irenæi aliorumque Patrum auctoritatem, at frustra. Nam hoc solum sanctissimi viri testati sunt, hæreticos nempe, quos nominant, vocem illam etiam ad suos *æones* traduxisse. Inde vero nequaquam conficitur, vocem illam primum fuisse ex ore hæretico profectam; sed rectius cum Tertulliano (*adv. Prax.* n. VIII) dicitur, hæresim, utpote religionis catholicæ corruptionem, *ex veritate accepisse quod ad mendacium suum strueret.*

Alterum autem quod D. Saisset objicit, nempe vocem ὁμοούσιος a Patribus Antiochenis damnatam fuisse, ex multiplici capite refellitur. Nam 1° hæc assertio exploratissimis historiæ monumentis adversatur. Repugnat enim iis quæ paulo antea occasione Dionysii *Alexandrini* contigerant. Scilicet decem circiter annis ante Synodum Antio-

(1) *Essais sur la phil.*, etc., p. 164 : *Or ce mot fameux d'ὁμοούσιον qui fut désormais le drapeau de l'orthodoxie, d'où venait-il quand Nicée le consacra? Si l'on en croit un témoignage très-précis, quelque scandale qu'il puisse produire, ce mot, sorti pour la première fois d'une bouche hérétique, avait été expressément rejeté par le concile d'Antioche.*

chenam Pentapolitani quidam laici, quum animadvertissent, Dionysium patriarcham Alexandrinum in suis adversus Sabellianos epistolis vocem ὁμοούσιος non usurpasse, inde ansam arripuerunt, illum apud Dionysium Romanum accusandi, *quod Filium rem creatam nec Patri ὁμοούσιον diceret.* Qua accusatione accepta, Dionysius pontifex, coacta Romæ Synodo, Alexandrinum episcopum monuit, Filium Patri consubstantialem dici oportere. Dionysius vero Alexandrinus, ut se a falsa illa criminatione purgaret, Romano pontifici respondit, se non negasse *Christum esse Deo consubstantialem;* neque multo post quatuor libros ad eumdem pontificem misit, quibus affictum sibi crimen magis dilueret. Atqui hæc facta, quæ indubia sunt, nullatenus componi possunt cum objecta illa ὁμοούσιου damnatione. Nam si hanc damnationem ponis, ponas etiam necesse est, illam evenisse, Patribus Synodi Antiochenæ aut ignorantibus ea quæ occasione Dionysii Alexandrini acciderant, aut ea scientibus. At prius si dicas, a scientia plurimorum episcoporum, doctrina ac sanctitate conspicuorum, id removes, quod paucos ante annos coram Ecclesia universali contigerat; imo quod et ipsi laici de ὁμοούσιῳ optime noverant; id quod nemo admiserit. Alterum vero si affirmes, declaras sanctissimos episcopos, adversus impium hæreticum congregatos, id scienter ac deliberate rejecisse, quod Pontifex Romanus cum sua Synodo, episcopusque Alexandrinus, necnon laici et ipsi eodem fere tempore quasi fidei tesseram agnoverant. Quod certe dici nequit, idque eo vel minus, quod Patres Antiocheni litteras Concilii omnibus quidem episcopis, sed nominatim Dionysio Romano, et Maximo Dionysii Alexandrini successori miserint. Itaque certissimis historiæ monumentis contradicit, qui affirmat vocem ὁμοούσιος in Concilio Antiocheno fuisse rejectam.

2° Reprobationem vocis ὁμοούσιος, si exstitisset, non igno-

rassent catholici; litteræ enim Synodi fuere ad omnes ecclesias transmissæ. Imo vero querelas ac dissentiones maximas haud dubie illa reprobatio statim excitasset; uti evidentissime patet ex iis quæ Dionysio Alexandrino evenerunt. At vero tantum abest, ut eæ litteræ turbas excitaverint, ut contra omnium plausu ubique fuerint exceptæ, et nemo fuerit inventus qui contra easdem reclamaverit.

Sed et Ariani damnationem illam probe novissent. Primi enim Ariani viderant plures Patres Antiochenos; litteræ Synodi in omnium manibus versabantur; ac Ariomanitæ, ut notum est, undequaque errorum suorum patrocinium maxima diligentia conquirebant. Itaque infensissimi illi ὁμοούσιον adversarii hanc proscriptionem multi fecissent eamque lætabundi catholicis exprobrassent. Nemo tamen eorum invenitur, qui ante annum 358 improbationis ejusmodi aliquam mentionem fecerit; ne Eusebius quidem, licet partem litterarum Synodi Antiochenæ satis prolixam in sua *Historia eccl.* lib. VII retulerit, ac in sua *ad Cæsarienses epistola* ὁμοούσιον vocem a veteribus nonnullis usurpatam esse declaraverit. Ex quo conficitur ὁμοούσιον vocis damnationem iis ignotam fuisse a quibus, si exstitisset, nec ignorari nec taceri potuisset.

3° Proscriptio illa a nullis idoneis testibus, sed sero ac sine rationum momentis relata fuit ab hominibus suspectæ fidei. Prima enim ejus mentio occurrit in Concilio Ancyrano, hoc est, fere 90 annis post celebratam Synodum Antiochenam; factaque est a Semiarianis, id est, ab hominibus qui vocem ὁμοούσιος rejiciebant, quorumque proinde multum intererat ostendere, id quod ipsi nunc faciebant, idem hoc olim a Patribus Antiochenis factum fuisse. Ejusmodi autem proscriptionem in quadam epistola de vocibus ὁμοούσιος et ὁμοιοούσιος scripta consignarunt; neque ullum hujus rei argumentum adduxerunt. Imo nec ipsa Synodi

Antiochenæ verba legisse videntur, ut non obscure colligitur tum ex Hilario de *Synodis* p. 1196, tum ex Symbolo de quo jam dicturi sumus.

4° Igitur condemnatio illa directe adversaretur Symbolo, quod legitur apud Harduinum, tom. 1. *Conc.* p. 1639, et quod plures viri eruditi Synodo Antiochenæ adscribunt. Nam in eo Symbolo vox ὁμοούσιος in exponendis adversus Paulum Samosatenum fidei dogmatibus sæpe adhibetur.

Ex his argumentis efficitur, vocem ὁμοούσιος a Patribus Antiochenis nunquam fuisse rejectam.

Dicunt quidem adversarii, Athanasium, Hilarium et Basilium hujus damnationis testes esse; verum egregie falluntur. Nam sanctissimi ii doctores non suo nomine hoc testantur, sed tantum referunt a Semiarianis hoc fuisse objectum; quod optime probarunt Maran (1), Liberatus Fassonius (2), Palma (3), Ginoulhiac (4), quos hic duces habuimus.

Jam vero si ea, quæ de voce ὁμοούσιος hucusque disputavimus, bene perspecta sunt, quisque facile intelliget, duo ad probandam Verbi cum Patre consubstantialitatem nobis esse præstanda. Primum enim demonstranda est ipsius cum Patre perfecta essentiæ unitas, ac deinde ejusdem personalitas a Patris personalitate distincta. Ὁμοούσιος, ait Petavius *de Trinit.* lib. IV. c. V., *id unum in Filio significat, unam et eamdem essentiam sive substantiam illius esse quae Patris sit, etsi persona sive hypostasis alia sit utriusque.* His vero duobus rite probatis, simul uno ictu profligantur increduli recentiores, tum illi qui divinam Verbi subsistentiam ac naturam negarunt, tum etiam ii qui absolutam ipsius cum Patre æqualitatem inficiati sunt. Natura namque

(1) *Divinitas D. N. J. C.* cap. 29, n. 2, p. 607 sqq. et *Diss. sur les Semi-ariens*, c. 7.

(2) *Diss. de voce* ὁμοούσιος (apud Zacc. in *thes. theol.* t. III).

(3) *Praell. hist. eccl.* c. 30.

(4) Lib. c. t. II, liv. X, c. 17.

divina, utpote simplicissima, neque multiplicari, neque alicui communicari potest, quin tota simul atque eadem numero cum omnibus suis proprietatibus et attributis communicetur. Proinde qui Verbum esse ejusdem cum Patre substantiæ seu naturæ dicit, is hoc ipso Verbum omnibus perfectionibus divinis præditum, atque ita Patri omnino æquale declarat.

Ad probandam autem Verbi cum Patre consubstantialitatem, quo sensu explicata est, argumenta ducemus : 1° ex nominibus Dei, Dei Filii, Filii Dei unigeniti, etc., quibus Verbum a Patribus antiquis insignitur; 2° ex attributis et operationibus divinis, quæ ab iisdem Patribus Verbo adscribuntur; 3° ex cultu divino, quem iidem Doctores Verbo deferunt; 4° demum ex natura divina, quam Veteres illi propriis verbis eidem tribuunt. Quæ quidem multiplicis generis argumenta, si non omnia simul apud omnes Patres inveniuntur, plura tamen apud singulos occurrunt.

His autem præmissis, jam ad thesim nostram probandam transimus.

CAPUT PRIMUM.

PATRUM APOSTOLICORUM DOCTRINA DE VERBI CONSUBSTANTIALITATE EXPENDITUR.

Exposita atque illustrata vera vocis *consubstantialis* notione, observatisque aliis quæ ad quæstionis statum rite intelligendum faciunt, ea omnia monuimus quæ prius cognoscenda erant, quam veterum Ecclesiæ Patrum de Verbi consubstantialitate doctrinam exponeremus. Nunc licet rem ipsam aggredi, et quænam sit primorum Ecclesiæ Doctorum de vera Verbi divinitate sententia, sedulo investigare. Exordium facimus a Patribus Apostolicis, quos in duas classes tribuimus; et ratio est, quia ex his sunt qui extra controversiam ad ævum Apostolicum pertinent; sunt vero etiam de quibus in dubium vocari potest, utrum necne ad illud ævum pertineant.

ARTICULUS I.

PATRES QUI CERTO PERTINENT AD ÆVUM APOSTOLICUM.

§ 1.

S. CLEMENS ROMANUS.

Patrum Apostolicorum omnium antiquissimus exstitit S. Clemens Romanus, Apostoli Pauli in prædicando Evangelio socius (ad Phil. IV. 3), et S. Petri in sede Romana successor, qui circa annum Christi 100 martyrii palma coronatus est. De Verbi divinitate et consubstantialitate ex professo quidem non scripsit Clemens, sed utramque

tamen disertis verbis docuit (1); quod falso nonnulli negaverunt (2).

Ac primum in epistola I *ad Corinthios* sanctus Martyr ita de Christo (3) loquitur : *Qui cum sit splendor* (ἀπαύγασμα) *majestatis ejus* (*Dei*), *tanto major est angelis, quanto excellentius nomen sortitus est. Ita quippe scriptum est :* qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis : *de Filio autem suo sic dixit Dominus :* Filius meus es tu, ego hodie genui te (4). Ex quibus habemus 1°, Christum esse splendorem majestatis divinæ, adeoque æternum ; nam splendor tam æternus esse debet, quam lux unde oritur;

(1) Ex operibus, quæ sub nomine S. Clementis Romani feruntur, tria tantum sunt certo genuina, scilicet, prima *ad Corinthios* et binæ *ad Virgines* epistolæ. Authentiam quidem primæ epistolæ *ad Corinthios* nuperrime impugnavit Schweglerus Tubingensis ; at eum pro merito castigavit Hefele, *PP. Apost. opp.* proleg. p. XXVI seq. Duarum autem *ad Virgines* epistolarum authentiam novimus in dubium a nonnullis vocari; sed illustrissimus ac doctissimus Dominus Beelen, in accuratissima harum epistolarum editione, quam anno proxime elapso vulgavit, sub titulo : *Sancti Patris nostri Clementis Romani epistolae binae de virginitate* (Syriace), hanc controversiam, nostra quidem sententia, omnino diremit (Prolegom. XX-LXXXIX), atque adversus Venemam, Lardnerum aliosque invicte demonstravit, has epistolas esse genuinum S. Clementis opus, nullumque prudens superesse dubium, quin ipsi adscribendæ sint.

(2) E. c., Photius Clementem arguit, quasi de Christo non satis digne dixisset; auctor libri, cui titulus, *Irenicum Irenicorum,* illum Socianismi incusat; Sandius Arianismi notam ei inurit ; nec ita dissimilia D. Saisset eidem obtrudit; demum D. Lipsius illum sic exhibet, ac si, more Philonis aut Alexandrinorum, *Λογῳ* dedisset medium locum inter Deum et angelos.

(3) Ii omnes qui divinam Christi naturam profitentur, eam itidem in Verbo agnoscunt. Jure igitur hunc Clementis locum adducimus, quamquam hic non de Verbi sed de Christi divina natura loquitur.

(4) *Ὅς ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ, τοσούτῳ μείζων ἐστὶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφερώτερον ὄνομα κεκληρονόμηκεν. Γέγραπται γὰρ οὕτως· ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα· ἐπὶ δὲ τῷ υἱῷ αὐτοῦ οὕτως εἶπεν ὁ δεσπότης· Υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε.* N. XXXVI, p. 167, vol. I, ed. Cotelerii.

2° Christum esse vere Dei Filium; hoc enim patet ex eo quod angelos, quos solum Dei ministros dicit, opponit Christo, quem speciali ac emphatico quodam modo *Dei Filium* appellat, ea Psalmistæ verba ipsi applicans : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quasi diceret : *tu solus es vere ac proprie, id est, natura, non gratia, ut angeli, creaturae praestantiores, Filius meus ab aeterno.* Atqui si Christus est vere Dei Filius, utique essentia Deus est, unamque et eamdem cum Patre naturam obtinet; quamquam personalitatem a Patre distinctam habet. Nam, ut rectissime monuit S. Nicetas, episcopus Aquileiensis : *Si* (Christus) *verus est Dei Filius, et vere de Deo Patre est genitus, non utique alterius substantiae est credendus, nisi ejus cujus est Filius; ut sicut Pater Deus est, ita Deus sit Filius, et sicut lumen Pater est, ita lumen sit Filius* (1).

Præclarum etiam argumentum in eadem Clementis epistola habetur, ubi ad memoriam Corinthiorum pristinas eorum virtutes revocans, sic scribit : *Omnes autem humili animo eratis, nullatenus superbientes, magis subjecti quam subjicientes, dantes potius quam accipientes; Dei viatico* (τοῖς ἐφοδίοις τοῦ Θεοῦ) *contenti et accurate attendentes sermonibus ejus* (αὐτοῦ)*; dilatati eratis in visceribus, et passiones illius* (παθήματα αὐτοῦ) *prae oculis vestris erant* (2). Quo loco Christus diserte *Deus* (ὁ Θέος) a Clemente appellatur. Hoc enim inde omnino constat quòd pronomina *ejus* et *illius* (αὐτοῦ) ad antegressum *Dei* (τοῦ Θεοῦ) procul dubio referenda

(1) In libro, *de ratione Fidei*, quem card. Angel. Maius anno 1827 primus edidit, ac postea inseruit in sua *Scriptt. Vett. nova collectione*, t. VII, p. 315, Romæ 1833.

(2) Πάντες τε ἐταπεινοφρονεῖτε, μηδὲν ἀλαζονευόμενοι, ὑποτασσόμενοι μᾶλλον ἢ ὑποτάσσοντες, μᾶλλον διδόντες ἢ λαμβανόντες· τοῖς ἐφοδίοις τοῦ Θεοῦ ἀρκούμενοι, καὶ προσέχοντες τοῖς λόγοις αὐτοῦ ἐπιμελῶς· ἐστερνισμένοι ἦτε τοῖς σπλάγχνοις, καὶ τὰ παθήματα αὐτοῦ ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν. N. II, p. 145.

sunt, et *passiones* (παθήματα) soli Christo, non Patri, conveniunt. Proinde Christus tamquam verus, hoc est, essentia ac substantia, Deus a Clemente agnitus fuit. Et hoc quidem eo magis certum est, quod S. Martyr alibi Dei unitatem aperte tradit (1).

Demum insignis est locus alter *epistolae prioris ad virgines*, qui juxta versionem Syriacam quam eruditissimus Dominus Beelen edidit, sic habet :

ܟܢܝܬܐ ܕܥܠܡܐ ܛܥܢܬ ܠܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ
ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ ܚܝܐ .

Hoc est : *Uterus Sanctae Virginis gestavit Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Filium* (2). Quem locum alius interpres Syrus ita reddidit : *Virginis uterus gestavit Dominum nostrum Jesum Christum, Deum Verbum* (3). Ex quibus liquet, Christum ab uno interprete Syro *Dei Filium*, ab altero vero *Deum* appellari; itaque, quamcumque versionem syriacam elegeris, illud conficitur, Christum Clementi Deum fuisse.

Hæc autem et alia Clementis Romani testimonia manifeste produnt, quanta injuria D. Saisset (4) insinuaverit, sanctum illum Pontificem non docuisse Christi cum Patre consubstantialitatêm et æqualitatem. D. Saisset non alium Clementis locum recitat, nisi vaga verba hæc : *Nonne unum*

(1) *Epist.* 1 *ad Virg.* c. XIII, p. 67, ed. Beelen.
(2) Ibidem. c. VI, p. 27. et p. 138.
(3) ܟܢܝܬܐ ܕܥܠܡܐ ܛܥܢܬ ܠܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ
ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ .

Apud Ex. D. Beelen, lib. c. prolegom. sect. 2, p. LIII. Fragmentum alterius illius versionis syriacæ, ex codice sæculi sexti desumtum, D. Curetonius Berolini edidit anno 1849, in libro cui titulus : *Corpus Ignatianum* (anglice), p. 212.
(4) Lib. c. p. 154 sq.

Deum habemus et unum Christum? Atque unus est Spiritus gratiae etc. (1). Atqui S. Clemens, uti vidimus, non uno in loco, sed in pluribus, non obscure et ambigue, sed claris ac perspicuis verbis Christi divinitatem et consubstantialitatem adeoque ipsius cum Patre æqualitatem tradidit. Testimonium autem quod scriptor gallus recitavit, tantum abest, ut ad probandam Christi aut Verbi divinitatem adduci soleat, ut contra tale sit, quod ad eam impugnandam passim profertur. Quamquam locus ille nullo modo Verbi divinitati contradicit. Sanctus Pontifex enim eo loco SS. Trinitatis personas simpliciter enumerat, Patremque, tamquam aliarum personarum principium, Deum κατ' ἐξοχὴν appellat, nequaquam vero ideo negans aut Verbum aut Spiritum Sanctum divinam habere naturam, quam alibi utrique personæ disertissimis verbis tribuit.

§ 2.

S. IGNATIUS.

Post Clementem Romanum occurrit Ignatius, cognomine *Theophorus*, Joannis Apostoli discipulus, vir scientia, religione, sanctitate aliisque virtutibus conspicuus, qui Ecclesiæ Antiochenæ episcopus à S. Petro præfectus est, ac palmam martyrii, Trajano imperatore, anno circiter 107, gloriosissime obtinuit. Plurima illustrissimus Martyr, eaque lucu-

(1) Ἦ οὐχὶ ἕνα Θεὸν ἔχομεν, καὶ ἕνα Χριστόν; καὶ ἓν Πνεῦμα τῆς χάριτος, etc. Epist. I ad *Corinthios* n. XLVI, p. 173. Ad hæc verba monet D. Saisset : *Je demande*, inquit, *ce qu'une critique exacte peut conclure d'un tel passage, alors même qu'on le rapprocherait avec tout l'art du monde d'un certain nombre de passages analogues. Je vois là trois noms, encore sont-ils assez peu précis : Dieu, le Christ, l'esprit de grâce. Où est la détermination de la nature de ces trois termes? où est la divinité du Christ? où est celle de l'esprit? où sont l'égalité, la consubstantialité du Père et du Fils? Qui m'assure même qu'il faut s'arrêter à trois personnes et que l'énumération est terminée?* l. c.

lenta de divina Verbi natura testimonia scripto reliquit. Quæ tamen prohibere non potuere, quominus D. Saisset venerandum illum Antiochiæ episcopum in Arianismi suspicionem vocaret. Quod quam inique ab eo factum sit, statim ostendam. Sed in antecessum monendum est, duos esse Ignatii epistolarum textus græcos, quorum unus longior (1) ab omnibus (2) ut interpolatus et corruptus rejicitur; alter vero brevior (3) tamquam genuinus et integer ab eruditis jam dudum agnitus fuit. Inde enim a doctissimis J. Usserii (4), I. Vossii (5), et præsertim J. Pearsonii (6) elucubrationibus, non solum auctores qui de scriptis SS. Patrum egerunt, textus brevioris authentiam ac integritatem defenderunt (7), eumque præstantissimi SS. Patrum operum editores in suis collectionibus inseruerunt (8), aut

(1) Ad hunc textum, nisi fallor, alludit D. Saisset, ubi scribit (lib. c. p. 156) : *On n'ignore pas, en effet, que lorsqu'il s'agit d'absoudre S. Ignace de l'accusation d'arianisme, les théologiens sont obligés de soutenir que ses épîtres ont été falsifiées au IV^me^ siècle par des mains ariennes.* Nam certum est, theologos, ubi dicunt, Ignatii epistolas fuisse manu aliena corruptas, ad textum longiorem unice respicere.

(2) Nuperrime tamen C. Meier huic textui palmam tribuere (apud Hefele lib. c. proleg. p. XLIV) conatus est frustra.

(3) Textus brevior is est, quem Isaacus Vossius ex codice Mediceo edidit (Amstelodami 1646), cuique epistolam *ad Romanos*, quæ deerat, Th. Ruinartius ex codice Colbertino adjecit (Paris 1689).

(4) In sua edit *epistt. S. Ignatii*, Oxonii 1644, et in sua *Append. Ignat.* Oxonii 1647.

(5) In sua edit. *epistt. S. Ignatii.*

(6) In suis *Vindiciis Ignat.* Oxonii 1672, quas theologi Oxonienses anno 1852 typis denuo mandarunt.

(7) Ita inter alios Le Nourry, *App. ad bibl. PP.* t. 1 diss. 7; Clericus ad Cotel. t. 11. p. 501 sqq.; Tillem. *Mém.* t. 11; N. Alex. *Hist. eccl. sæc.* 1. *diss.* 23; Mamach. *Orig. et antiq. Christ.* t. 4. p. 577-406; D. Ceiller, *Hist. gen.* t. 1. p. 626; Lumper, *Hist. theol. SS. PP.* t. 1. p. 256 sqq.; Moehler, *Patrol.* t. 1; Permaneder, *Bibliot. patr.* t. 2. p. 39 sqq., Landishuti 1842; Fessler, *Instt. patrol.* t. 1. p. 170, Æniponte 1850.

(8) Ex gr. Cotelerius, Paris 1672; Ittigius, Lipsiæ 1699; Frey, Ba-

singulatim vulgarunt (1); verum etiam theologi illustriores ad illum provocarunt, plurimaque testimonia ex eodem deprompta in suis operibus intexuerunt (2). Imo vero Protestantes ipsi non pauci, iique doctissimi, non dubitarunt textum illum aut in prælectionibus publicis explanare (3), aut ejus authentiam dissertationibus vel scriptis peculiaribus strenue propugnare (4).

Nuperrime tamen a probatissima hac sententia recesserunt nonnulli, inter quos numerantur D. Saisset (5), Baurius (apud Hefele), ac præsertim W. Curetonius (6); at

sil. 1742; Russel, Lond. 1746; Gallandus, Venet. 1765; Hornemann, Hafniæ 1828; Jacobson, Oxon. 1833; Hefele, Tubing. 1839.

(1) Ut Smithius, Oxon. 1769; Aldrich, Oxon. 1708; Thilo, Halæ 1821; Petermann, Lipsiæ 1849.

(2) Sic inter recentiores Liebermann, Moehler, Klee, Perrone, Schwetz (1851), Knoll (1853), alii.

(3) V. g. Thilo.

(4) Dusterdieck, in comment : *Quae de Ignatianarum epistt. auth. duorumque textt. rat. et dign. hucusque prolatae sunt sentt.*, etc. Gotting. 1845; Wordsworth, in *Englisch Review* n. 8. Decembr. 1845; H. Denziger, *Ueber die Echtheit des bisherigen Textes der Ignatianischen Briefe.* Würzburg 1849.

(5) Lib. c. p. 156.

(6) Anno 1845 W. Curetonius tres Ignatii epistolas (*ad Polycarpum, ad Ephesios*, et *ad Romanos*) repertas in vetustis codicibus syriacis, in Museo Britannico depositis, Londini edidit, easque pro solis Ignatii epistolis vere genuinis habendas esse voluit; alias vero omnes sive epistolas sive epistolarum recensiones tamquam adulterinas rejecit. Curetonii sententiæ duobus post annis accessit Chr. Bunsen, Borussiæ apud Anglos legatus, scriptis hac de re duobus libris (*Die drei echten und die vier unechten Briefe des Ignatius v. Antiochien. Ignatius v. Antiochien und seine Zeit*), quos Hamburgi anno 1847 vulgavit. Postea sententiam suam pluribus defendit Curetonius in opere quod Berolini et Londini anno 1849 publicam in lucem emisit, sub hoc titulo : *Corpus Ignatianum* (anglice). Sed Curetonii opinio acerrimos illico nacta est adversarios. Nam eodem, quo prodiit, anno Chr. Wordsworth textus recepti defensionem suscepit, ac opus, quod supra memoravimus, conscripsit, in quo ostendit, antiquam illam versionem syriacam a Curetonio editam, non esse nisi Ignatii epistolarum epito-

nullo jure recesserunt. Nam sive attendas ad argumenta externa, sive interna argumenta consideres, textûs vulgati epistolarum Ignatii tam authentia quam integritas firmissimis rationibus confirmata est.

Sed jam age, videamus quid S. Ignatius de Verbi consubstantialitate senserit, et quamnam de ea notionem animo conceptam habuerit.

Non raro S. Martyr Christum Dei Filium declarat. Ita *ad Eph.* n. IV et n. XX; *ad Smyrn.*, n. 1, etc. Verum ex pluribus exemplis unum sufficiat allegasse, quod in inscriptione epistolæ *ad Romanos* sic legitur : *Ignatius, qui et Theophorus, misericordiam consecutae in magnificentia Patris altissimi et Jesu Christi unici ejus Filii* (τοῦ μόνου υἱοῦ αὐτοῦ) *Ecclesiae dilectae et illuminatae, etc.* (1). Ex quo

men, a quodam monacho Monophysita sæculo circiter sexto elaboratam; idque evicit tum ex orationis serie, quam loca detracta aut transposita deturbant; tum ex multis Ignatii epistolarum fragmentis syriacis, quæ apud Severum, Antiochiæ patriarcham, et Timotheum, episcopum Alexandrinum, scriptores sæculi sexti, reperta sunt atque in lucem edita una cum versione trium Ignatii epistolarum syriaca, quam Curetonius vulgavit. Eamdem fere sententiam amplexi sunt C.-J. Hefele et Jacobson in suis ultimis *Patrum Apostolicorum* editionibus, ubi docent, tres illas Ignatii epistolas syriacas in Anglia repertas, a quodam monacho Syro fuisse in pium usum abbreviatas et in compendium redactas. Cui porro opinioni adhæserunt Denziger, lib. c., et Fessler, lib. c. t. 1. p. 172. Omnes autem hi auctores, ut suam sententiam probarent, partim iisdem rationibus, quibus Chr. Wordsworth Curetonium antea impugnaverat, partim novis usi sunt. Sed præcipuum suum argumentum hæc sententia cepit ex antiqua Ignatii epistolarum versione armeniaca Constantinopoli anno 1783 typis mandata, quam J.-H. Petermann Lipsiæ anno 1849 denuo edidit, in opere : *S. Ignatii Patris Apostolici quae feruntur epistolae una cum ejus martyrio. Collatis edd. graecis versionibusque syriaca, armeniaca, latinis,* etc. Nimirum in hoc libro eruditus auctor ostendit, versionem armeniacam fuisse sæc. V. confectam ad exemplar antiquæ versionis syriacæ non decurtatæ, ut in editione Curetoniana habetur, sed talis quæ cum codice græco Mediceo omnino conveniat.

(1) Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος, τῇ ἠλεημένῃ ἐν μεγαλειότητι πατρὸς

manifestissime patet, Christum ab Ignatio habitum fuisse pro vero Dei Filio, adeoque naturæ divinæ consorte, sed personalitate propria a Deo Patre discreto.

Passim Ignatius Dei nomen Christo tribuit, velut in inscriptione epistolæ *ad Ephesios* : *Ignatius, qui et Theophorus, benedictae in magnitudine Dei Patris et plenitudine, praedestinatae ante saecula, ut esset semper in permanente gloria, immutabilis, unita et electa in vera passione, per voluntatem Patris et Jesu Christi Dei nostri* (τοῦ Θεοῦ ἡμῶν), *Ecclesiae merito beatissimae, quae est Ephesi in Asia, etc.* (1). Porro in ipsa illa epistola n. XVIII hæc legimus : *Deus enim noster* (ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν) *Jesus Christus in utero gestatus est a Maria* (ἐκυοφορήθη ὑπό Μαρίας) (2). In n. XIX ejusdem epistolæ sic habetur : *Omne vinculum malitiae est abolitum, ignorantia destructa est, vetus regnum labefactatum est, Deo* (Θεοῦ) *humanitus manifestato in novitatem vitae aeternae* (3). Et in epistola *ad Trallian.* n. VII legitur : *A talibus* (hæreticis) *igitur vos custodite. Quod fiet, si inflati non fueritis et indivulsi manseritis a Deo* (Θεοῦ) *Jesu Christo, et Episcopo, et praeceptis Apostolorum* (4). Similia habentur in epist. *ad Rom.* n. III : *Namque Deus noster* (ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν) *Jesus Christus, in Patre existens, magis apparet* (ἐν πατρὶ ὢν μᾶλλον φαίνεται) (5). Item n. VI ejusdem epistolæ : *Sinite me, fratres, imitatorem esse passionis Dei*

ὑψίστου καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μόνου υἱοῦ αὐτοῦ ἐκκλησία ἡγιασμένη καὶ πεφωτισμένη. p. 128 sq. ed. PETERMANN.

(1) P. 3 sq.

(2) P. 50.

(3) Πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο κακίας, ἄγνοια καθηρεῖτο, παλαιὰ βασιλεία διεφθείρετο, Θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς. P. 54 sq.

(4) Τοῦτο δὲ ἔσται ὑμῖν μὴ φυσιουμένοις, καὶ οὖσιν ἀχωρίστοις Θεοῦ, Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῶν διαταγμάτων τῶν ἀποστόλων. p. 109 sq.

(5) P. 147.

mei (Ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι τοῦ πάθους τοῦ Θεοῦ μου) (1). Denique in epist. *ad Smyrn.* n. 1 dicitur : *Glorifico Jesum Christum Deum* (τὸν Θεὸν), *qui tanta vos sapientia donavit* (2). Atqui ubi Christum Ignatius Deum appellat, ibi Deum verum, Patri ὁμοούσιον, haud dubie intelligit. Hoc enim vel inde constat, quòd Christum non Deum simpliciter, sed Deum cum articulo (τὸν Θεὸν), aut Deum nostrum (τὸν Θεὸν ἡμῶν), id est, Christianorum, expresse nominat, alibi autem Dei unitatem apertissime tradit, veluti *ad Magnesian.* n. VIII.

Neque conjicias cum aliquibus rationalistis hodiernis, loca illa fuisse interpolata atque corrupta. Nam aut talia sunt ut a scriptoribus tertii et quarti sæculi jam fuerint prolata (*ad Eph.* VII, XVIII, XIX; *ad Rom.* VI; *ad Smyrn.* I); aut talia ut in iis Christi divinitatis professio cum tota orationis serie colligata sit intimeque cohæreat (*ad Eph.* VII, XV; *ad Polycarp.* III).

Præterea insignis est Ignatii locus qui in epistola *ad Ephes.* n. VII reperitur : *Medicus autem unus est, et carnalis et spiritualis, factus et non factus* (γενητὸς καὶ ἀγένητος) (3), *in homine existens Deus, in morte vita*

(1) P. 168.

(2) Δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Θεὸν τὸν οὕτως ὑμᾶς σοφίσαντα. p. 219.

(3) Pro γενητὸς καὶ ἀγένητος legitur γεννητὸς καὶ ἀγέννητος in nonnullis Athanasii (*de synodis*) codicibus, in codice Mediceo, necnon et apud Theodoretum (*Dial.* 1), qui habet γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου, exemplar hoc loco corruptum secutus. Sed lectio γενητὸς καὶ ἀγένητος occurrit in pluribus codicibus Athanasii, eamque secuti sunt Vossius, Smithus, Jacobson, Hefele, alii.

Hic autem observa, voces γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, si in textum loco γενητὸς καὶ ἀγένητος recipiantur, *factus et non factus* esse reddendas; tum quia contexta oratio et materia subjecta hunc sensum requirunt; tum quia Gelasius sic vertit, Athanasius et interpretes syrus et armenus ita intellexerunt; tum demum quia voces γεννητὸς καὶ ἀγέννητος et γενητὸς καὶ ἀγένητος a scriptoribus antiquis, qui ante sæc. III vixerunt, promiscue usurpatæ fuere.

vera, et ex Mariâ et ex Deo, primum passibilis, et tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster (1). Ubi manifesta antithesis inter utramque Christi naturam et utriusque attributa instituitur. Etenim, Christus secundum naturam humanam homo dicitur, factus, passibilis, etc.; secundum vero naturam divinam Deus declaratur, non factus, hoc est, increatus, impassibilis, etc. Huic loco consonat alius epist. ad *Polycarpum* n. III, ubi Ignatius Smyrnæ episcopum ita alloquitur: *Eum, qui ultra tempus est, expecta, intemporalem* (ἄχρονον), *invisibilem, propter nos visibilem, impalpabilem, impatibilem, nostra causa patibilem, qui omnimodis propter nos sustinuit* (2). Hic utique agitur de Christo qui secundum naturam divinam est aeternus (ἄχρονος), invisibilis, impatibilis, et qui propter nos in tempore assumpsit naturam humanam, visibilem et patibilem, et mortem pro nobis subiit.

Denique aliis in locis Ignatius sicut attributa divina Christo tribuit, ita ejus filiationem ac personalitatem æternam adstruit. Sic in epistola *ad Eph.* n. XV eum omniscium pronuntiat: *Nihil latet Dominum, sed et arcana nostra prope ipsum sunt* (3). In epistola vero *ad Magnes.* n. VI æterna Christi subsistentia declaratur hisce verbis: *Hortor*, ait Ignatius, *ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo praesidente Dei loco, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis, mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi, qui*

(1) Εἷς ἰατρός ἐστιν, σαρκικός τε καὶ πνευματικὸς, γενητὸς καὶ ἀγένητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς καὶ τότε ἀπαθὴς, Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ κύριος ἡμῶν. p. 162, ed. Hefele.

(2) Τὸν ὑπὲρ καιρὸν προσδόκα, τὸν ἄχρονον, τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατὸν, τὸν ἀψηλάφητον, τὸν ἀπαθῆ, τὸν δι' ἡμᾶς παθητὸν, τὸν κατὰ πάντα τρόπον δι' ἡμᾶς ὑπομείναντα. p. 268 sq. ed. Petermann.

(3) Οὐδὲν λανθάνει τὸν κύριον, ἀλλὰ καὶ τὰ κρυπτὰ ἡμῶν ἐγγὺς αὐτῷ ἐστιν. p. 45. sq.

ante saecula apud Patrem erat (ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν), *et in fine apparuit.* Tandem in eadem epistola, n. VIII, Dei unitas Christique æterna filiatio ita præclare traduntur : *Unus est Deus qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius aeternum, non a silentio progrediens* (ὃς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν (1).

(1) Ex verbis οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν Ignatiano-mastiges, ut eos vocat Cotelerius, argumentum ducunt, quo epistolæ *ad Magnesios* authentiam impugnent. Contendunt enim, hisce verbis, Valentini de σιγῇ commentum feriri, quod *Ignatio* vivente necdum extabat. Hanc autem difficultatem alii aliter solvere conati sunt. Paucissimi fuere qui hæc verba e textu expungerent, quasi fuissent a librario quodam ea de causa huic epistolæ assuta, ut Valentini hæresim confoderet. Sed hæc sententia nullo fundamento nititur. Aliqui porro dixerunt Valentinum ibi configi, contendentes eum jam Ignatii tempore errores suos spargere cœpisse. Verum et hæc sententia rejicienda est, tum quia probari potest, Ignatium hoc loco ad Valentinum non respexisse, tum quia incertum est, utrum necne Valentinus tempore Ignatii jam errores suos disseminarit. Plures postea negarunt Ignatium ibi de σιγῇ Valentini agere, voluerunt que S. Martyrem ad silentium quod sermonem humanum antecedit, alludere. Quæ quidem sententia defendi potest. Constat enim, Ignatium eo loco adversus hæreticos judaizantes dimicasse, cujusmodi Valentinus non erat; et jam Ignatii interpolator hunc locum ita exposuit. Denique plurimi statuerunt neque Valentinianos, neque silentium sermone humano anterius, ibi respici; sed hæreticos Valentino antiquiores profligari, quos alii Cerinthianos, alii Ebionitas, alii Simonianos esse voluerunt. Quod Ignatius hoc loco hæreticos et quidem a Valentinianis diversos confoderit, ex dictis constat. Quinam vero fuerint illi hæretici, haud ita facile dici potest. Attamen eorum opinio, qui Simonianos esse volunt, satis firma videtur. Nam duplici testimonio conficitur Simonem Magum inter *aeones* sui systematis σιγὴν etiam computasse; unde pronum est colligere, S. Ignatium his verbis Simonianos profligasse. Illorum autem testimoniorum prius apud Eusebium *contra Marcellum* l. 11. c. 9. legitur : *Qui hæresiarcha* (Simon Magus) *blasphema istiusmodi dogmatizavit, erat Deus et* σιγή. *Post* σιγὴν *et Hesychian processisse ait Logon, in principio constitutionis mundi.* Alterum vero nobis suppeditat liber ille, cui titulus : *Origenis philosophumena sive omnium haeresium refutatio* (græce). In quo Simon Magus ita docens exhibetur (lib. VI, p. 173) : *Duo sunt,* ait, *omnium saeculorum surculi, neque*

§ 3.

S. POLYCARPUS.

Eadem, qua Ignatius, ætate Asiæ ecclesiam pariter illustravit S. Polycarpus, qui, Joannis Apostoli ac Evangelistæ auditor, ab eodem Smyrnæ episcopus ordinatus est (1). Exstitit quoque hic Christi divinitatis propugnator egregius. Hoc testatur Hieronymus, Smyrnensis Ecclesia docet, et perspicue probant ipsius Polycarpi opera.

Primum audiatur sanctus Hieronymus, testis sane locuples, qui in suo *adversus Helvidium* libro n. 17 (ed. Vallarsii), inter viros Apostolicos et eloquentes qui Christi divinitatem scriptis defenderunt, Polycarpum quoque recenset : *Numquid*, ait sanctus Doctor, *non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commovere : Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Justinum Martyrem, multosque alios Apostolicos et eloquentes viros, qui adversus Ebionem et Theodotum, Byzantium, Valentinum, haec eadem sentientes, plena sapientiae volumina conscripserunt? Quae si legisses aliquando, plus saperes.* Quid plura? Nonne certo certius inde constat, S. Polycarpum non solum Christi divinitatem tradidisse, sed et eamdem contra ejus aggressores, editis ea de re libris, sapientissime propugnasse?

Luculentissimis hisce S. Hieronymi verbis apprime con-

principium, neque finem habentes, ab una radice quæ est potentia σιγη, invisibilis, incomprehensibilis. Hoc opus primus (Oxonii 1851) edidit E. Miller, scriptor gallus, ex vetusto codice græco, Parisiis a M. Mynas anno 1842 allato, illudque Origeni tribuit. Ch. Bunsen aliquanto post tempore idem opus veluti S. Hippolyti fœtum exhibuit. Anno 1855 E. Freppel, Caium presbyterum vel, quod probabilius censet, S. Hippolytum hujus libri auctorem esse contendit. Eodem anno Car. Lenormant hunc librum Origeni, Döllinger vero Hippolyto adscripsit, isque suam sententiam firmissimis rationibus comprobavit.

(1) Tertull. *de praesc.* c. 32; S. Hieron. *de vir. ill.* c. 17.

gruit admirabilis illa precatio quam sanctus Polycarpus, jamjam mortem pro Christo gloriose obiturus, ad Deum enixe fudit, quamque nobis servavit antiqua ac veneranda Smyrnensis Ecclesia. Ita scilicet illustrissimus Martyr, manibus post tergum revinctis, oculisque in cœlum defixis, Deum in hac precatione amantissime compellabat : *Domine Deus omnipotens, Pater dilecti ac benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam accepimus, Deus Angelorum et Virtutum, ac universae creaturae, totiusque justorum generis qui vivunt in conspectu tuo; benedico te, etc.* Deinde, paucis interjectis, ita pergit : *de omnibus laudo te, benedico te, glorifico te, cum sempiterno* (αἰωνίῳ) *et cœlesti Jesu Christo, dilecto tuo Filio, cum quo tibi et Spiritui Sancto gloria et nunc et in futura saecula. Amen* (1).

Quid præclarius hisce verbis excogitari potest? Quid expressius? Non solum Christum *aeternum* (αἰωνίον) *Dei Filium* declarant, sed insuper unam eamdemque cum Patre et Spiritu sancto gloriam eidem tribuunt; ac proinde ipsius cum Patre et Spiritu sancto æqualitatem et naturæ unitatem, imo et distinctam ab utroque subsistentiam exprimunt. Nam trium personarum discrimen aperte indicant tum duplex præpositio *καὶ* et *μετὰ*, tum ipsa Patris et Filii et Spiritus sancti appellatio. Et quum unum eumdemque honorem, unam eamdemque gloriam tribus personis attribuat, eo ipso significat, eas esse inter se æquales. Atqui personæ Patris et Filii et Spiritus S. æquales esse non possunt, nisi unam et eamdem numero naturam habeant, siquidem natura divina, quum sit infinita, multiplicari nequit. Et hæc quidem adeo vera sunt, ut

(1) Περὶ πάντων αἰνῶ σε, εὐλογῶ σε, δοξάζω σε, σὺν τῷ αἰωνίῳ καὶ ἐπουρανίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, ἀγαπητῷ σου παιδί· μεθ' οὗ σοι καὶ πνεύματι ἁγίῳ ἡ δόξα, καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας. Ἀμήν. *Ecclesiae Smyrn. de martyrio S. Polycarpi epistola*, n. XIV, p. 199. vol. II. ed. Cotelerii.

Ariani proprie dicti hanc doxologiæ formulam nunquam admiserint, sed e contra ad unum omnes rejecerint (Cfr. Bull. lib. c. sect. II. c. III. p. 51; Ginoulh. lib. c. t. 1. l. IV. c. XV. p. 345).

Quam autem S. Polycarpus de Christi deitate et consubstantialitate fidem, instante martyrio, professus est, eam antehac in celebri sua *ad Philippenses* epistola jam diserte docuerat (1). Nam n. VI. hujus epistolae sic loquitur : *Coram Domini ac Dei oculis sumus* (Ἀπέναντι γὰρ τῶν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ἐσμεν ὀφθαλμῶν), *et* omnes oportet stare ante tribunal Christi, et unumquemque pro se rationem reddere (*ad Rom.* XIV. 10, 12). *Sic itaque serviamus illi* (αὐτῷ) *cum timore et omni reverentiâ, quemadmodum ipse praecepit, et qui nobis Evangelium annunciarunt, Apostoli, quique Domini nostri adventum praesignificarunt, Prophetae* (2). Ubi Christus appellatur Dominus, Deus, judexque omnium nostrûm futurus declaratur. Alibi (n. XII) S. Polycarpus hæc scribit : *Deus autem et Pater Domini nostri Jesu Christi, et ipse sempiternus pontifex, Dei Filius, Christus Jesus, aedificet vos in fide et veritate... et det vobis sortem et partem inter sanctos suos* (3). Quo in loco Christus ab eo vocatur aeternus pontifex et Dei Filius, unaque cum Patre invocatur, ut Philippenses in virtutibus ædificet, eisque post mortem sanctorum felicitatem largiatur : id quod soli Deo competit. Denique (n. XIII) hæc dicit : *Epistolas Ignatii, quae nobis ab eo transmissae sunt, et alias, quascumque apud nos habuimus, ad vos misimus sicut mandastis; quae*

(1) Ex plurimis epistolis quas Polycarpus, teste Irenæo (apud Eusebium, *Hist. eccl.* l. 5. c. 20), conscripsit, sola superest ea quæ *ad Philippenses* data est; quæ procul dubio, quidquid obganniant Semlerus, Schweglerus, alii (apud Hefele, lib. c. proleg. p. LXVII, in nota 5.), authentica est, atque in tanto pretio habita ab antiquis, ut eam nonnumquam in cœtibus publicis prælegerint.

(2) P. 186, vol. II ed. Cotel.

(3) P. 189. Textus græcus ibi desideratur.

quidem huic epistolae subjectae sunt. Ex iis magnum fructum percipere vobis licebit. Continent enim fidem et patientiam et aedificationem omnem ad Dominum nostrum pertinentem (1). Itaque Polycarpus Ignatii epistolas ad Philippenses transmisit, eas ipsis magnopere commendavit, suoque demum omnino comprobavit suffragio. Jam vero vidimus Ignatium in suis epistolis Verbi divinitatem luculentissime tradidisse.

Quod si quis objiciat, Deum in epistola Polycarpi ad *Philippenses* a Christo distingui, imo *Christi Deum* appellari (v. g. n. XII); huic respondebimus, 1° Polycarpum Deum quidem a Christo distinguere, sed persona, non natura; 2° Patrem duplici de causa *Christi Deum* rite nominari, scilicet tum propter humanitatem, quæ Deo subjicitur, tum etiam propter divinitatem, quam ex æterno a Deo Patre accepit.

ARTICULUS II.

PATRES DE QUIBUS CONTROVERTITUR UTRUM NEC-NE AD APOSTOLICUM ÆVUM PERTINEANT.

§ 1.

AUCTOR EPISTOLÆ QUÆ S. BARNABÆ TRIBUITUR.

Jam inde a remotissima antiquitate nota est epistola quædam S. Barnabæ tributa, de cujus authentia inter eruditos multum disceptatur (2). Sunt enim qui eam S. Bar-

(1) P. 275. ed. Hefele, et p. 189. ed. Cotelerii.

(2) Hujus epistolæ authentiam impugnarunt aut certe in dubium vocarunt Cotelerius, lib. c. vol. I. p. 5. sqq.; N. Alexander, *Hist. eccl. saec.* I. cap. 12. art. 8; Ceillier, *Hist. gen.* t. I. p. 489; Lumper, *Hist. theol.* t. I. p. 150; Hefele, lib. c. proleg. p. XIV; Fessler, lib. c. p. 188, alii. Authenticam epistolam esse contenderunt E. Dupin, *Bibl.* t. I. p. 6. sqq.; Nourry, *Appar.* t. I. diss. 3; Galland, *Bibl. vett. PP.*

nabæ Apostolo tribuunt; alii contra illam alteri ejusdem fere ætatis scriptori adscribunt. Sed quidquid in hac controversia tenendum sit, illud certo constat, epistolam hanc fuisse ante finem sæc. II conscriptam (1). Hoc enim colligitur tum ex indiciis internis, tum etiam ex testimonio Clementis Alex. (*Pæd.* l. 2, c. 10), alterius sæculi scriptoris, qui jam eam commemoravit. Neque audiendus est D. Schenkel, qui hujus epistolæ integritatem negavit (vide Hefele, proleg. p. XVI sq.).

Quæ cum ita se habeant, nemo est qui non videat quanta sit illius epistolæ auctoritas, quantumque nostra intersit exponere quid ejus auctor de Verbi consubstantialitate tradiderit.

Auctor ergo hujus epistolæ de Christi persona hæc habet (n. V) : *Propter hoc*, inquit, *Dominus sustinuit tradere corpus suum in exterminium, ut remissione peccatorum sanctificemur, quod est sparsione sanguinis illius* (2). Ergo ex ejus sententia Christus passus et mortuus est, ut effusione sanguinis sui homines a peccatis liberaret eosque sanctificaret. Atqui utrumque hoc facere nequit nisi solus Deus.

Idem porro ibidem statim addit : *Dominus sustinuit pati pro anima nostra, cum sit orbis terrarum Dominus cui dixit* (Pater) *die ante constitutionem saeculi :* Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. *Quomodo ergo sustinuit, cum ab hominibus hoc pateretur, discite. Prophetae ab ipso habentes donum in illum prophetaverunt, etc.* (3). Quid, quæso, præclarius dici potest? Christum

t. I. prolog. c. 3; Henke, *de epist. quæ Barn. trib. auth.* Jenae 1827; Roerdam, *Comment. de ep. S. Barn.* Hafniae 1828; Moehler, *Patrol.* t. I. part. I, etc.

(1) Haud improbabiliter sub finem saec. I. vel initio II. Cfr. Cotel. l. c., Moehler l. c., Fessler lib. c. p. 182, Hefele lib. c. p. XV sq., alii.

(2) P. 60. vol. I, ed. Cotelerii. Hic græca desiderantur.

(3) Hæc in græco desunt.

epistolæ auctor vocat divinum prophetarum afflatorem, hominum creatorem, orbis terrarum Dominum, qui jam ante mundi constitutionem veluti persona a Patre distincta exstitit. His similia n. VI leguntur : *De nobis*, inquit, *Scriptura dicit, loquente Patre ad Filium :* Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (1). Quibus verbis hominis creatio etiam Christo tribuitur, unaque ipsius ante hominem conditum personalis exsistentia significatur. Adhaec, in n. V. scribitur : *Nisi vero* (Filius Dei) *in carne venisset, quomodo servati fuissemus nos homines videntes eum ? Quandoquidem ii qui solem hunc aliquando desiturum, opus manuum ejus* (ἔργον χειρῶν αὐτοῦ) (2), *aspiciunt, non valent radios illius intueri* (3). Quo loco epistolæ auctor docet, Christum esse non modo solis creatorem, sed etiam veluti solem splendidissimum, qui præ fulgore aspici nequeat. His subjungimus aliud testimonium, quod n. XII sic legitur : *Habes etiam in hoc gloriam Jesu, quod per ipsum* (εν αὐτῷ) *sint omnia, et in ipsum* (4). Quo quid clarius dici possit, non video.

(1) Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ περὶ ἡμῶν, ὡς λέγει τῷ υἱῷ· ποιήσωμεν κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμῶν τὸν ἄνθρωπον. P. 19.

(2) Pro *manuum ejus* vetus interpres latinus habet *manus Dei*, exemplar hoc loco corruptum secutus. Ceterum, quod recte monet Grabius (apud Bullum), *posito, neque tamen concesso, Barnabam scripsisse* Θεοῦ, *non* αὐτοῦ, *et sic tamen firmissimum ex ejus textu pro deitate Christi necti posset argumentum. Nam tum ratiocinium ejus tale foret : si homines solem, qui est opus manuum Dei sive creatura, oculis suis intueri non valent, multo minus potuissent Christi aspectum sustinere, nisi in carne venisset. Insulsum autem foret, si Christus perinde ut sol esset opus manuum Dei sive creatura. Non igitur pro creatura sed creatore Christum extra carnem habuit S. Barnabas.* Hactenus Grabius.

(3) P. 16.

(4) Ἔχεις καὶ ἐν τούτῳ τὴν δόξαν τοῦ Ἰησοῦ, ὅτι ἐν αὐτῷ πάντα, καὶ εἰς αὐτόν. P. 40.

Alibi denique auctor epistolæ scribit : *Igitur Dei Filius ideo in carne venit, ut summam imponeret peccatis eorum qui ad mortem persecuti sunt prophetas ipsius* (1). Itaque Christus Dei Filius erat priusquam in carne manifestaretur, proindeque verus est, non adoptivus, Dei Filius. Quod pariter conficitur his epistolæ verbis (n. VII) : *Si ergo Dei Filius, qui est Dominus et judicaturus est vivos et mortuos, passus est, ut plaga ipsius vividos nos redderet, credamus, non potuisse Filium Dei pati nisi propter nos* (2). Quibus in verbis Christus declaratur non solum Dominus, sed etiam is Dei Filius, qui homines omnes morte sua convivificaverit et in fine sæculi judicaturus sit (Cfr. etiam n. XII).

§ 2.

AUCTOR LIBRI QUI PASTOR INSCRIBITUR.

Inter antiquissima Ecclesiæ monumenta merito recensetur quoque liber ille qui *Pastor* inscribitur. Nam sive eum Hermæ, cujus Paulus *ad Rom.* XVI. 14. meminit, auctori tribuas, quod multi faciunt, sive Hermeti, fratri Pii I, quod aliis placet; certum est hunc librum, ad finem vergente sæculo I, aut certe medio circiter sæculo II fuisse exaratum (3). Quod vel inde jam probatur, quòd S. Irenæus, qui circa a. 180 scripsit, hunc librum laudavit (*adv. Haer.* l. IV. c. 20).

(1) Οὐκοῦν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐς τοῦτο ἦλθεν ἐν σαρκὶ, ἵνα τὸ τέλειον τῶν ἁμαρτιῶν κεφαλαιώσῃ τοῖς δικαίοις ἐν θανάτῳ τοὺς προφήτας αὐτοῦ. N. V, p. 16.

(2) Εἰ οὖν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὢν κύριος καὶ μέλλων κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς, ἔπαθεν, ἵνα ἡ πληγὴ αὐτοῦ ζωοποιήσῃ ἡμᾶς· πιστεύσωμεν, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὐκ ἠδύνατο παθεῖν, εἰ μὴ δι' ἡμᾶς. P. 20.

(3) Vide Hefele lib. c. proleg. p. LXXXII, Fessler, *Instt. Patrol.* t. I. p. 189.

Age vero, videamus quid ejus libri auctor de Verbi consubstantialitate docuerit.

Igitur in lib. III. similit. IX, Pastor, postquam Hermæ in campo vastissimo ostendisset petram ingentem, antiquam, ac nova porta instructam, supra quam turris magna aedificabatur, statim ab eo rogatur, ut reconditam harum rerum significationem exponat. Ac primum quidem de petra et porta Hermas ita sciscitatur (n. XII) : *Petra haec*, ait, *et porta quid sunt? Audi*, respondet Pastor : *petra haec et porta* Filius Dei *est. Quonam pacto, Domine*, reponit Hermas, *petra vetus est, porta autem nova? Audi, insipiens*, regerit Pastor, *et intellige.* Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam. *Porta autem propterea nova est, quia in consummatione in novissimis diebus apparuit, ut, qui assecuturi sunt salutem, per eam intrent in regnum Dei* (1). Hic itaque Christus a Pastore duplici sub aspectu nobis exhibetur. Nimirum quatenus Deus est sive Dei Filius, repræsentatur nobis sub imagine petræ pervetustæ, quæ cum Patre ante omnem creaturam exstiterit, eique in rerum constitutione veluti consiliarius adfuerit. Quatenus vero homo est, nobis depingitur sub figura portæ novæ, quæ in plenitudine temporum apparuerit atque omnibus via salutis exsistat.

Hermas deinceps de turri Pastorem interrogat hisce verbis (n. XIV) : *Nunc, Domine, demonstra mihi, quare non in terra aedificatur haec turris, sed supra petram et portam?..... Audi*, respondet Pastor : Nomen Filii Dei magnum et immensum est et totus ab eo sustentatur orbis. *Si ergo, inquam, omnis Dei creatura per Filium ejus sustentatur; cur non et eos sustinet, qui invitati sunt ab eo et nomen ejus ferunt et in praeceptis ejus ambulant* (2)?

(1) P. 115, ed. Cotelerii.
(2) P. 116.

Nota hic, immensitatem, quæ soli Deo competit (1), et totius orbis sustentationem Filio Dei expresse tribui, eumque ab omnibus creaturis apertissime distingui atque adeo tamquam Deum agnosci.

Quod si objicias, Pastorem in *similit.* IX non de Christo loqui, sed *de homine quopiam a Deo excitato et virtutibus ornato*, quem idcirco Dei Filium appellet (2); respondebo falso hoc dici : nam 1° multa sunt in hac similitudine quæ de Christo sermonem ibi fieri apertissime demonstrant. Quem enim nisi Christum intelligamus *eum, qui in novissimis diebus apparuit, ut qui assecuturi sunt salutem*, per eum *intrent in regnum Dei;* cui soli *est accessus ad Deum*, sine quo *nemo intrabit in regnum Dei;* cujus *apostoli et doctores praedicarunt nomen*, supra quem *Ecclesia aedificatur*, per quem *universae nationes, quæ sub cœlo sunt, ad fidei gratiam vocatae sunt?* 2° Plurima quoque ibidem dicta reperiuntur, quæ nullo pacto homini convenire possunt, quibusque adeo Crusii sententia omnino refellitur. Nam quis sanæ mentis dixerit, de homine quopiam sermonem esse, ubi scriptor loquitur de aliquo qui sit omni creatura antiquior, Patri in rerum creatione consiliarius, immensus, orbis universi sustentator atque unica salutis via Ecclesiæque fundamentum?

Sed tamen, dicat quis, Filius Dei in *simil.* V servus a Pastore expresse declaratur. Ait enim : *Servus vero ille, Filius Dei est* (3). Videtur ergo eum, quem Filium Dei

(1) Immensitatem soli Deo convenire Hermas ipse docet lib. II. *mand. I.* p. 85. Πρῶτον πάντων πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεὸς, ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα. Εἷς Θεὸς μόνος ὁ πάντα χωρῶν, μόνος δὲ ἀχώρητος ὤν. Id est : *Primum omnium crede, quod unus est Deus, qui omnia creavit et consummavit, et ex nihilo omnia fecit. Ipse capax universorum*, solus immensus est.

(2) Ita fere Baumgarten-Crusius (apud Hefele ad h. l.).

(3) N. V, p. 105.

vocat, non Christum, sed hominem quempiam intelligere.

Respondeo, 1° Ineptam esse hanc argumentandi rationem. Nam etiamsi pro certo haberemus, hominem quempiam fuisse a Pastore in similitudine V. *Dei Filium* appellatum, inde tamen non sequeretur, eam denominationem non fuisse ab eodem alibi Christo tributam. Potuit enim uno in loco de quodam homine, in altero vero de Christo loqui. Quod autem in *simil. IX* de Christo locutus fuerit, invicte, ni fallor, supra ostendimus. 2° Ad id vero quod ex *similitudine* V opponitur, monendum est, Christum sive Dei Filium ibi *servum* dici ratione naturæ humanæ. Et hoc quidem inde certo constat, quod statim Pastor sciscitanti Hermæ, *quare Filius Dei in similitudine hac servili loco ponitur*, ita respondet : *Audi*, inquit, *in servili conditione non ponitur Filius Dei, sed in magna potestate et imperio* (1). Quæ sane verba cum iis, quæ opponuntur, omnino conciliari non possunt, nisi dicamus Dei Filium sub uno respectu esse servum, non vero sub alio. Quinam vero sit ille respectus, sub quo Dei Filius servus existat, Pastor postea docet, ubi servitutem illam ad corpus, hoc est, ad naturam Christi humanam manifeste refert, hisce verbis utens : *Hoc ergo corpus*, inquit, *in quod inductus est Spiritus S., servivit illi Spiritui, recte in modestia ambulans et caste, neque omnino maculavit Spiritum illum. Cum igitur corpus illud paruisset omni tempore Spiritui, recteque et caste laborasset cum eo, nec succubuisset in omni tempore, fatigatum corpus illud serviliter conversatum est, sed fortiter cum Spiritu S. comprobatum Deo receptum est. Placuit igitur Deo hujusmodi potens cursus, quia maculatus non esset in terra, possidens in se Spiritum sanctum. In consilio advocavit ergo Filium et nuntios bonos, ut et huic, scilicet corpori quod servivit Spiritui S. sine querela, locus aliquis consis-*

(1) N. VI, p. c.

tendi daretur, ne videretur mercedem servitutis suæ perdidisse (1).

Ast, inquiunt, si non de homine Pastor ibi loquitur, neque etiam de Christo verba facit, sed de Spiritu S., quem Dei Filium nominat. Nam in Similit. V dicit : *Filius autem Spiritus S. est* (2).

Ad hæc respondemus, Pastorem potuisse in Similit. V de Spiritu S. loqui, in Similit. IX vero de Christo. Quod autem attinet ad Similitudinem V, ad quam provocatur, multum abest, ut certum sit, nomine Filii ibi Spiritum S. esse intelligendum. Fuerunt quidem qui cum Jachmanno hoc existimarent, quibus accensendus est D. Maran, *Div. J. C. D. N.* lib. IV, c. 2. p. 374; sed fuere etiam, iique multi, qui hoc aperte negarent, Christumque qua Deum ibi intelligendum esse sentirent, inter quos numerantur G. Bullus, *lib. c.* sect. 1. c. 2. p. 18; Moehler, *Patrol.* t. 1. p. 195 (Lov. 1844); Permaneder, *Bibliot. patr.* t. 2. p. 19 in nota, ubi falsam hac in re doctrinam Bullo affingit; Hefele (ad h. l.). Neque injuria id voluerunt. Nam hæc sententia haud parum confirmari videtur ex verbis quæ statim ibi sequuntur. Adde, ex veteribus nonnullos, *Spiritûs* aut *Spiritûs S.* nomen Dei Filio aliquando tribuisse, numquam vero, quod sciam, Spiritum Sanctum *Filii Dei* appellatione significasse.

§ 3.

AUCTOR EPISTOLÆ AD DIOGNETUM.

Ab antiquissimo *Pastoris* libro transimus ad antiquissimam epistolam ad *Diognetum*, cujus auctor, hactenus igno-

(1) P. 392, ed. Hefele.

(2) Ita inter recentiores Jachmannus (apud Hefele ad h. l.), et aliquo modo Wegscheider l. c. § 88.

tus, primo vel secundo Ecclesiæ sæculo vixisse videtur; nam hanc ætatem argumenta interna haud obscure demonstrant (1). Præstantissimum est hæc epistola primævæ ecclesiæ monumentum, quo cum alia fidei nostræ dogmata, tum imprimis dogma de vera Verbi divinitate luculenter probari possunt. Selecta nonnulla ejus epistolæ loca hic subjicimus.

Igitur epistolæ auctor de divina religionis christianæ origine loquens sic scribit : *Ipse vere Deus, qui est omnipotens, et omnium conditor, ac invisibilis, e cœlis Veritatem* (τὴν ἀλήθειαν) *et Verbum* (τὸν Λόγον) *sanctum ac incomprehensibile inter homines locavit, et in cordibus eorum firmam habere sedem voluit; non, quemadmodum aliquis conjicere possit*, misso hominibus ministro aliquo (οὐ καθάπερ ἄν τις εἰκάσειεν, ἀνθρώποις ὑπηρέτην τινὰ πέμψας), *aut angelo, aut principe, aut aliquo eorum qui terrena gubernant, aut quopiam eorum quibus commissa est rerum in cœlis administrandarum cura;* sed ipso opifice et creatore omnium (ἀλλ' αὐτὸν τὸν τεχνίτην καὶ δημιουργὸν τῶν ὅλων) (2); *quo cœlos condidit* (ᾧ τοὺς οὐρανοὺς ἔκτισεν), *quo mare suis terminis conclusit; cujus mysteria* (3) *fideliter ab omnibus elementis* (4) *observantur; a quo certa spatia diurnorum cursuum* (sol) *observanda accepit; cui paret luna jubenti eam lucere nocti : cui astra obtemperant, lunae cursum sequentia; a quo omnia disposita sunt, et suis limitibus circumscripta; et cui sunt supposita cœli et quae in cœlis sunt, terra et quae in terra*

(1) Moehler, *Patrol.* t. 1. p. 151; Permaneder, lib. c. t. 2. p. 52; Hefele, lib. c. proleg. § VII; Fessler, lib. c. t. 1. p. 194. Sæculo II hujus libri auctorem vixisse putat Otto, *De Epistola ad Diognetum*, cap. III. § 17. Jenae 1844.

(2) Haec Platonismum sapere ex eoque derivari, falso conjecit Vacherot, lib. c. p. 227.

(3) H. e. leges, quibus Creator rerum naturam moderatur, quæque hominum intellectum latent, ait Boehl (apud Hefele ad h. l.).

(4) Pro *elementis* Hefele reddidit *astris*.

sunt, mare et quae in mari; ignis, aer, abyssus; quae in altitudinibus, quae in profunditatibus, quae in medio (locata sunt). Hunc ad eos misit; an, ut aliquis hominum cogitare possit, tyrannidis exercendae et terrorem incutiendi causa? Minime vero; sed in clementia, in lenitate. Tanquam rex mittens Filium regem misit; tanquam Deum misit, tanquam ad homines misit, tanquam servans misit, tanquam persuadens, non tanquam violentiam adhibens, violentia enim Deo non inest. Misit ut amans, non judicans. Mittet enim eum judicaturum; et quis ejus adventum sustinebit (1)? Ergo Christus non est auctori nostro aliquis Dei minister, aut aliqua ejus creatura; sed ipse opifex et creator omnium, a quo universa ordinata sunt, cui res omnes obediunt ac subjiciuntur, qui ut rex a rege, Filius a Patre, Deus a Deo missus est, ut homines immensa clementia salvaret, quique eos aliquando judicaturus sit.

Ibidem de mira christianæ religionis propagatione scribens, epistolæ auctor ita loquitur: *Non vides objectos feris, ut abnegent Dominum, et non victos? Non vides, quo plures supplicio afficiuntur, tanto majorem fieri numerum reliquorum? Hæc non videntur ab homine fieri; hæc sunt Dei potentia* (ταῦτα δύναμίς ἐστι Θεοῦ); hæc adventûs ejus sunt indicia (ταῦτα τῆς παρουσίας αὐτοῦ δείγματα) (2). Quibus verbis Christum Deum in terris apparuisse auctor noster expresse declarat.

Atque ipsum hoc pariter docet, dum agens de vera Dei

(1) Τοῦτον πρὸς αὐτοὺς ἀπέστειλεν, ἆρά γε, ὡς ἀνθρώπων ἄν τις λογίσαιτο, ἐπὶ τυραννίδι καὶ φόβῳ καὶ καταπλήξει; Οὐ μενοῦν, ἀλλ' ἐν ἐπιεικείᾳ, πραΰτητι. Ὡς βασιλεὺς πέμπων υἱόν βασιλέα ἔπεμψεν· ὡς Θεὸν ἔπεμψεν, ὡς πρὸς ἀνθρώπους ἔπεμψεν, ὡς σώζων ἔπεμψεν, ὡς πείθων, οὐ βιαζόμενος· βία γὰρ οὐ πρόσεστι τῷ Θεῷ. Ἔπεμψεν ὡς ἀγαπῶν, οὐ κρίνων. Πέμψει γὰρ αὐτὸν κρίνοντα· καὶ τίς αὐτοῦ τὴν παρουσίαν ὑποστήσεται; N. 7. p. 237. ed. Maran.

(2) P. 315 ed. Hefele.

notione hominibus tradita hæc scribit (n. 8) : *Nam quis ex omnibus hominibus norat, quid esset Deus*, priusquam ipse venisset (*πρὶν αὐτὸν ἐλθεῖν*)? *An vana et nugacia dicta illorum fide scilicet dignorum philosophorum approbas? Quorum aliqui ignem esse Deum dixerunt*, etc... *Verum hi sermones sunt prodigiosa mendacia et imposturæ præstigiatorum : ac hominum quisquam neque vidit ipsum, neque aliquam ipsius notitiam habuit :* Sed ipse seipsum ostendit (*αὐτὸς δὲ ἑαυτὸν ἐπέδειξεν*). *Ostendit autem per fidem, cui soli Deum videre concessum est.* Deus igitur ipse in terris venit, ipseque seipsum ostendit.

Insuper apertissimis verbis Christi divinitatem profitetur, ubi de humani generis redemptione disserens sic loquitur (n. 9) : *Quum autem ad cumulum malitia nostra pervenisset et plene manifestum factum foret, mercedem peccăti esse supplicium, et mors expectaretur, advenissetque tempus a Deo praestitutum ad suam deinceps benignitatem ac potentiam declarandam, et quomodo prae immenso quo homines prosequitur amore, nos odio non habuerit, neque rejecerit, neque improbitatis nostrae memorem se ostenderit, sed patienter eam tulerit, ac sustinuerit :* ipse peccata nostra suscepit; proprium ipse Filium (*τὸν ἴδιον υἱὸν*) pretium redemptionis pro nobis dedit, *sanctum pro iis qui legem transgressi erant; nihil minus quam malum, pro malis, justum pro injustis, corruptionis nescium pro obnoxiis corruptioni; immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere quam ejus justitia? In quo alio nos iniqui et impii justificari possumus quam* in solo Dei Filio (*ἐν μόνῳ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ*)? *O dulcem permutationem! O impervestigabile artificium! O beneficia expectationem omnem superantia! Ut iniquitas quidem multorum in justo uno abscondatur, justitia autem unius faciat ut multi injusti justificentur* (1).

(1) *Αὐτὸς τὰς ἡμετέρας ἁμαρτίας ἀνεδέξατο· αὐτὸς τὸν ἴδιον υἱὸν*

Profitetur ergo epistolæ auctor Christum esse solum ac proprium Dei Filium, sanctum et justum, incorruptibilem et immortalem, eum qui nos omnes a morte redemit, et in quo solo justificationem habere poteramus.

Sed et disertis verbis Christus ab auctore epistolæ unigenitus Dei Filius nominatur, ubi DIOGNETUM edocet, quanta bona accepturus sit, si fidem suscipiat. *Hujus etiam tu fidei si desiderio tenearis*, ait, *et illam accipias, primum quidem cognosces Patrem. Deus enim homines dilexit, propter quos mundum creavit; quibus omnia subjecit quae in mundo sunt; quibus rationem, quibus mentem dedit; quibus solis ad ipsum oculos attollere permisit; quos ad imaginem suam formavit; ad quos* Filium suum unigenitum (*πρὸς οὓς ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ*) *misit; quibus cœleste regnum promisit, et dabit, quod ipsum dilexerint* (1).

Tandem epistolae auctor æternitatem Christo tribuit, hisce verbis : *Hic qui semper* (*οὗτος ὁ ἀεί*), *hodie Filius habitus*, (*σήμερον υἱὸς λογισθείς*) *per quem Ecclesia ditatur* (2).

Sufficiunt profecto quæ adhuc recitavimus loca, ad probandum, eam fuisse Patrum apostolicorum fidem, ut Verbum crediderint esse Dei Filium, Deum verum, et Patri consubstantialem.

ἀπέδοτο λύτρον ὑπὲρ ἡμῶν, τὸν ἅγιον ὑπὲρ ἀνόμων, τὸν ἄκακον ὑπὲρ τῶν κακῶν, τὸν δίκαιον ὑπὲρ τῶν ἀδίκων, τὸν ἄφθαρτον ὑπὲρ τῶν φθαρτῶν, τὸν ἀθάνατον ὑπὲρ τῶν θνητῶν. Τί γὰρ ἄλλο τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἠδυνήθη καλύψαι ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη ; Ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν μόνῳ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ ; Ὦ τῆς γλυκείας ἀνταλλαγῆς, ὦ τῆς ἀνεξιχνιάστου δημιουργίας, ὦ τῶν ἀπροσδοκήτων εὐεργεσιῶν· ἵνα ἀνομία μὲν πολλῶν ἐν δικαίῳ ἑνὶ κρυβῇ, δικαιοσύνη δὲ ἑνὸς πολλοὺς ἀνόμους δικαιώσῃ. P. 238.

(1) N. 10. p. 239.

(2) N. 11. p. 240.

CAPUT SECUNDUM.

PATRUM SECUNDI ET TERTII SÆCULI DOCTRINA DE VERBI CONSUBSTANTIALITATE DECLARATUR. PRÆMITTITUR INQUISITIO DE Λόγῳ PLATONIS, PHILONIS JUDÆI, ET NEOPLATONICORUM.

Patrum secundi et tertii sæculi antequam testimonia audiamus, prævie dicendum nobis est de λόγῳ Platonis, Philonis Judæi, et Neoplatonicorum; nam sunt ex nostrorum temporum incredulis qui contendunt, Patres utriusque illius sæculi fere non aliter de secunda persona sanctissimae Trinitatis sensisse, quam Philosophos illos de suo λόγῳ.

Jam olim Sociniani affirmarant, illius ævi scriptores suam de Trinitate doctrinam ex fontibus philosophiæ platonicæ accepisse. Quibus fere consentiunt illi Protestantes qui, ad auctoritatem traditionis infirmandam, contendunt, Christianam de Trinitate fidem fuisse ea ætate commentis Platonistarum adulteratam (1).

Hos secuti rationalistæ hodierni comminiscuntur, Patres illius temporis, quum essent Platoni, aut Philoni Judæo, aut Neoplatonicis addicti, eam ob causam talia de λόγῳ docuisse quæ cum istorum philosophorum placitis convenirent (2).

Hæc autem rationalistarum commenta ut refellantur, exponemus quænam tandem fuerit Platonis, Philonis Judæi et

(1) Hac de re cfr. Baltus, *Défense des SS. Pères accusés de Platonisme*, Paris 1711; Bergier, *Dictionnaire de théologie*, art. *Platonisme*; alii.

Doctissimus quoque Petavius aliquando in ea fuit sententia ut crederet, plerosque illius ætatis Patres de sanctissima Trinitate Platonico fere modo sensisse. Verum sententiam hanc inconsiderate susceptam postea abjecit atque repudiavit eruditissimus theologus in *Præfatione* quam præmisit tom. II suorum *dogmatum theologicorum*. Ex quo patet, quam falso ad auctoritatem Petavii provocent D. Saisset (lib. c. p. 160) et F. Laurent (*Etudes sur l'histoire de l'humanité* — christianisme — p. 34).

(2) Guericke, *De schola quæ Alexandriæ floruit catechetica*, part. 2.

Neoplatonicorum de λόγῳ sententia ; ut ità, postquam Patrum secundi et tertii sæculi doctrinam etiam expenderimus, omnibus pateat, ab horum doctrinâ commentum illorum Philosophorum omnino differre.

A. de Λόγῳ platonis.

De λόγῳ Platonis inquisitionem instituenti maxima se offert opinionum varietas. Sunt enim qui putant Platonem per λόγον intellexisse Dei rationem sive intelligentiam, quatenus est facultas cognoscendi (1). Aliis vero Plato visus est per λόγον designasse mentem divinam ceu complexionem idearum juxta quas Deus omnia effecerit (2). Denique nonnulli existimarunt, λόγον Platoni veram hypostasim sive personam fuisse, eamque aut Patri consubstantialem et æqualem, aut a Patre diversam eoque inferiorem (3). Ex quo patet, varias hasce opiniones ad duas posse revocari : nam aut subsistentia λόγῳ tribuitur, aut λόγος pro mero Dei attributo habetur.

p. 97. p. 106 sqq., p. 168 sqq.; Stieren, *De Irenæi adversus hæreses operis fontibus, indole, doctrina et dignitate*, p. 32 sq. Gotting. 1836; Wegscheider, lib. c. § 92; Otto, *De Justini Martyris scriptis et doctrina*, p. 78 sq. Jenæ 1841; Saisset, lib. c. p. 159; Vacherot, lib. c. introd. liv. II, c. V; Doehne, *De γνώσει Clem.*, p. 95; Laemmer, *Clementis Alexandrini de λόγῳ doctrina*, p. 19, Lipsiæ 1855; Laurent, lib. c. p. 34; alii.

(1) Bergier, *Dict. théol.* art. *Trinité;* H. Martin, *Etudes sur le Timée*, t. I, p. 26, Paris 1841.

(2) Otto, lib. c. p. 83; Vacherot, lib. c. t. I, p. 15. Igitur intricatam de idearum platonicarum sede controversiam proprio marte dirimunt, eas in intellectu divino reponentes. Attamen non desunt qui illas extra Deum a Platone locatas esse autumant, inter quos H. Martin lib. c. t. I, p. 7.

(3) Petavius (de *Trin.* lib. I, cap. I, n. III) docet Platonem de λόγῳ Arianis consentanea tradidisse; Cudworthus (*Syst. intell.* t. I, § 36) asserit Platonem de λόγῳ eadem docuisse, quæ postea Athanasius; Thomassinus (*de Trin.* c. 35) ac nuperrime P. Leroux (apud Bonnetty, *Ann. de Phil. chrét.* t. XXI, p. 94) personalitatem etiam λόγῳ Platonis tribuerunt.

Ut autem nostram sententiam statim declaremus, affirmare non dubitamus, Platonem voce λόγος nihil nisi Dei attributum quoddam indicasse; etenim, nullo firmo argumento probari potest λόγον Platoni fuisse hypostasim aliquam; aliunde vero certo constat, Platonem λόγου nomine proprietatem divinam nonnumquam significasse. Utrumque hoc in sequentibus ostensuri sumus.

Argumenta autem quibus Verbi platonici personalitatem probare conantur, duplicis sunt generis. Petuntur enim vel ex scriptis Platonis, vel ab auctoritate Veterum.

Quod ad Platonis testimonia attinet, primum ex *Philebo* desumitur, ubi clarissimus philosophus ita scripsit : *Nonne igitur in Jovis quidem dices natura regium animum* (βασιλικὴν ψυχήν) *regiamque inesse rationem* (βασιλικὸν νοῦν) *propter causæ potestatem* (δύναμιν), *in aliis vero alia pulchra*, etc. (1). Itaque contendunt, Platonem hoc loco βασιλικὸν νοῦν (*mentem regiam*) vocasse suum λόγον, eumdemque cogitasse exsistentem ad modum distinctae personae; falluntur autem. Nam Plato hac voce non hypostasim distinctam, sed simplicem facultatem aut merum Dei attributum significat. Et hoc quidem luce clarius patescit, si ad totius libri institutum et seriem orationis attendatur. Plato enim in hoc libro ostendere contendit, intelligentiam sive mentem præ voluptate excellere (2). Illud autem inter alia etiam hoc modo conficit : scilicet triplex rerum, quæ in universo exstant, genus distinguit (3) : 1° infinitum, 2° finitum, 3° mixtum ex utroque. His porro ceu quartum genus adjicit, permistionis causam (αἰτίαν) (4). Postea voluptatem ad infinitum redu-

(1) Οὐκοῦν ἐν μὲν τῇ τοῦ Διὸς ἐρεῖς φύσει βασιλικὴν μὲν ψυκήν, βασιλικὸν δὲ νοῦν ἐγγίγνεσθαι διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν, ἐν δὲ ἄλλοις ἄλλα καλά, κ. τ. λ. Tom. III, p. 318 ed. Astii.

(2) P. 265.

(3) P. 297.

(4) P. 299.

cit (1); rationem vero sive mentem causæ cognatam hujusque fere generis esse ita demonstrat : *Nonne*, ait Socrates ad Protagoram..... *rectius dicemus esse, quæ sæpius memoravimus, infiniti in universo multum et finiti satis, causamque ad hæc haud vilem quamdam, quæ ordinans et componens annos, anni tempora et menses, sapientia et ratio* (νοῦς) *nominetur rectissime?* Protag. *Rectissime vero.* Socr. *Sapientia autem et ratio non possunt sine animo exstare.* Protag. *Nullo sane modo.* Socr. *Nonne igitur in Jovis quidem dices natura regium animum regiamque inesse rationem propter causæ potestatem,* etc.? Protag. *Sane....* Socrat. *Meæ autem quæstioni reddit responsum,* rationem esse affinem generis illius, quod unum de quatuor istis omnium causa est dictum (2). Quasi diceret : ratio utique causæ affinis est, si causa ipsa ratione et animo fruatur. Jam vero causa cum animo regio, tum ratione itidem regia utitur. Proinde ratio causæ affinis est; quod erat probandum.

Itaque tota Platonis argumentandi ratio huc redit : Causæ genus infinito præcellit; sed voluptas ad infinitum, intelligentia vero fere ad causam refertur; ergo ratio sive intelligentia voluptati præstat.

Hinc facile perspicitur rationis divinæ subsistentiam ex illo Platonis loco erui non posse; quandoquidem philosophus illam non memoravit, nisi ut ostenderet, rationem in universum, quæ certe persona non est, voluptate præcellentiorem esse. Imo vero inde potius collegeris, Platonem ibi per *rationem regiam* non nisi facultatem divinam designasse. Sicut enim ratio creata aliud non est quam mera facultas, ita etiam ratio divina, cui creata affinis est.

Alterum porro argumentum ex *Polit.* lib VI depromunt, in quo hæc verba leguntur : *Itaque, viri egregii, ipsum*

(1) P. 311.
(2) P. 317 et p. 319.

quid sit bonum, missum nunc faciamus; majus enim mihi videtur esse quam ut, quum illud in præsentia susceperimus, meam explicare nunc possim de hac re sententiam; quænam vero proles (ἔκγονός) sit boni ejusque simillima (ὁμοιότατος), dicere volo;... *hunc igitur* fructum *ac* prolem (τόκον) *ipsius boni accipite; sed cavete nequid vos decipiam invitus, adulterinam reddens expositionem fructûs* (1). Quæ ab adversariis ita intelliguntur, ut per *bonum,* Deum Patrem, per *prolem* vero, Deum Filium indicari velint. Sed, missa quæstione, utrum nec-ne Plato *boni* nomine Deum ipsum significaverit, statim affirmamus, illos, quod ad vocis τόκος interpretationem attinet, falsos esse, quum Plato hac voce *veritatem* ac *scientiam* designaverit. Nam, ut, quid τόκον intelligat, exponat, res in visibiles et intelligibiles distribuit; et sicut nihil in ordine rerum visibilium absque solis lumine perspicitur, ita in ordine rerum intellectualium nihil intelligitur absque boni *prole,* id est, absque scientia et veritate, quæ a bono velut a sole intellectuali gignuntur. Hæc sunt, inter alia, Platonis verba quibus suam sententiam explicat : *Oculos, inquam, scis, si quis eos jam non ad ea convertat, quorum colores diurnus fulgor, sed ad ea, quæ nocturna lux exhibeat, hebescere et prope videri cæcos esse, quasi non insit purus visus.... Si vero, opinor, quæ sol collustrat, perspicue cernunt, etiam in ipsis his oculis visus, ut patet, inest.... Ita igitur etiam de animo statue : si in id, quod veritas collustrat, defixus est, cogitat et cognoscit et ratione præditus videtur esse; sin in id quod cum tenebris commix-*

(1) ἀλλ', ὦ μακάριοι, αὐτὸ μὲν τί ποτ' ἐστὶ τἀγαθόν, ἐάσωμεν τὸ νῦν εἶναι· πλέον γάρ μοι φαίνεται ἢ κατὰ τὴν παροῦσαν ὁρμὴν ἐφικέσθαι τοῦ γε δοκοῦντος ἐμοὶ τὰ νῦν· ὃς δὲ ἔκγονός τε τοῦ ἀγαθοῦ φαίνεται καὶ ὁμοιότατος ἐκείνῳ, λέγειν ἐθέλω.... τοῦτον δὲ δὴ οὖν τὸν τόκον τε καὶ ἔκγονον αὐτοῦ τοῦ ἀγαθοῦ κομίσασθε· εὐλαβεῖσθε μέντοι μή πη ἐξαπατήσω ὑμᾶς ἄκων, κίβδηλον ἀποδιδοὺς τὸν λόγον τοῦ τόκου. Opp. t. 4, p. 366.

tum est, ortum et interitum habens, opinatur et hebescit sursum deorsum opiniones versans rationisque videtur expers esse.... Hoc igitur quod veritatem præbet cognoscendis et cognoscenti facultatem tribuit, boni speciem (ἰδέαν) existima esse, effectricem (αἰτίαν) scientiæ et veritatis; *his vero tam pulchris, cognitione et veritate, aliud etiam pulchrius recte existimabis; nam sicut ibi lucem et visum solis quidem similia haberi par est, solem vero existimari non rectum, ita etiam boni similia quidem utraque haberi rectum est, bonum autem alterutrum existimari non rectum, sed etiam pluris æstimanda est vis boni.* Deinde, paucis interpositis, ita pergit: *Solem rebus sub adspectum cadentibus non solum, ut arbitror, eam vim dices tribuere ut cernantur, sed etiam ortum, incrementum et alimentum, licet ipse non sit ortus..... Etiam rebus cognoscendis non solum hoc ut cognoscantur existima a bono tribui, sed etiam id afferri ut sint et exstent, licet bonum non sit exstans aliquid, sed superet etiam id quod exstat dignitate ac potentia* (1). Cuivis sane hæc verba attente legenti, facile persuasum erit, Platonem voce *prolis* nihil nisi veritatem scientiamque indicasse.

Urgent insuper Verbi platonici subsistentiæ defensores, locum Epinomidis istum: *Nemo aliter unquam statuat omnium nostrum ita ut alios eorum* (qui sunt in cœlo) *pro diis habeat, alios non habeat, alios germanos existimet, alios vero tales quales nec fas sit dicere ulli nostrum, sed omnes dicamus et affirmemus, illos omnes esse cognatos cognatæque sortis, nec honores tribuamus uni annum, alteri mensem, aliis vero nihil constituamus, ne tempus quidem, in quo percurrat orbem suum, pro virili parte* mundum absolvens, quem ratio omnium divinissima constituit adspectabilem, quemque beatus primum admiratur (2), *deinde vero amore tenetur*

(1) Opp. t. IV, p. 371 ed. c.

(2) Græce legitur: « συναποτελῶν κόσμον ὃν ἔταξε λόγος ὁ πάντων θειότατος ὁρατόν, ἓν ὁ μὲν εὐδαίμων πρῶτον μὲν ἐθαύμασεν, κ. τ. λ.

cognoscendi quæcumque mortalis natura potest (1). Hic locus tanti a P. Leroux æstimatur, ut illum ad probandam Verbi platonici subsistentiam omnino decretorium existimet. Sed iste Scholæ, ut vocant, *humanitariæ* princeps egregie hac in re fallitur. Ex hoc enim loco definiri nequit, utrum λόγος ille, de quo ibi sermo fit, mera sit Dei summi proprietas sive facultas, an vero hypostasis ab eo distincta. Unde patet, nihil pro P. Leroux sententia inde erui posse. His adde, id quod nodum omnino solvit, inter eruditos hodiedum convenire, Epinomidem haud esse genuinum Platonis fetum (2).

Sed sententiæ, quam impugnamus, patroni nullum Platonis locum lubentius invocant, quam qui in *epistola II* sic legitur : « *Dicis* (Dionysius) *enim*, *ut ille* (Archedemus) *ait*, non satis tibi demonstratam esse primi naturam. Dicendum igitur tibi est per ænigmata, *ne, si quid epistolæ vel mari vel terra acciderit, qui legat eam intelligat. Sic vero res se habet:* Circa omnium regem omnia sunt et hujus gratia omnia, et ille causa omnium bonorum; secundum vero circa secunda, et tertium circa tertia » (3). Ubi Plato, ut ipse monet, per ænigma loquitur. Jam autem quæro, quid in favorem unius alteriusve opinionis ex ænigmate deduci potest, nisi prius ponamus, ænigma fuisse solutum? At certe nemo, nisi insipiens, affirmaverit, se hujusce ænigmatis solutionem tenere. Nam quid sit ille πρώτος, de quo loquitur, quid βασιλεὺς, quid δεύτερον, quid τρίτον,

(1) Opp. t. VIII, p. 35. ed. c.

(2) H. Martin, lib. c. t. II, p. 388; Stallbaum, *de Plat. vita, ing. et scriptt. p. XXXV* (Goth. 1827), ubi dicit : *De* Epinomide, etc., *jam a* Meinersio, Tennemanno, Boeckhio, Schleiermachero, Astio, *ita disputatum est, ut eos Platoni abjudicandos esse non possit dubitari, nisi ab imperitis.*

(3) Opp. t. 9. p. 317. ed. c. Ultima verba græce sic habent : περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστί, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα..., δεύτερον δὲ περὶ τα δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα.

omnes æque ignorant nec nisi conjectura aliqua assequuntur. Hinc elucet, locum illum ab iis qui Verbi platonici subsistentiam defendunt, non posse urgeri; eoque minus quòd epistola ex qua decerptus est, tamquam spuria ab eruditis rejicitur (1).

Ultimum tandem testimonium quod adversarii afferunt, ex *epistola ad Hermiam, Erastum et Coriscum* desumitur, et sic habet : *Hasce litteras, omnes vos qui tres estis legere oportet, maxime quidem conjunctos, sin minus, duos communiter, quam sæpissime fieri poterit et pacto legeque rata uti, id quod justum est, cum studio simul serio a Musis haud alieno et joco, studii serii fratre,* per deum jurantes omnium quæ sunt et erunt ducem, ducisque et auctoris Patrem Dominum, quem si revera philosophemur, omnes cognoscemus manifesto pro facultate hominum beatorum (2). Igitur vis hujus argumenti, quod nostra ætate a P. Leroux recoctum est, hac in re nititur, ut pro certo ac indubitato ponatur, λόγον ibi *Deum ducem* esse intelligendum. Verum hæc hypothesis omni fundamento destituitur, quum nullo Platonis testimonio firmari valeat. Nullibi enim in scriptis suis Plato Deum summum appellat λόγου *Patrem*. Ubi Deus supremus *Pater* ab ipso vocatur, ibi mundi, non Verbi Pater dicitur. Unde pronum est colligere, *Deum ducem* ipsum esse *mundum*, qui *Deus* haud semel a Platone nominatur. Ceterum isthæc epistola supposititia est, ut antea vidimus.

Quodsi Veterum ea de re sententiam rogamus, nihil proficient adversarii. Nam si nonnulli Patres, Neoplatonici,

(1) In libro cui titulus : *Dictionnaire des sciences philosophiques* (Paris 1851), art. *Platon*, ita ex Schleiermachero, Sochero et Astio scribitur : *En opposition à ces dialogues admis par tous les critiques, on peut également mettre hors de cause, par une raison contraire :* l'Epinomis, etc. *les* Lettres (*sauf la septième dont* Boeck *soutient l'authenticité*).

(2) *Epist.* VI. opp. t. IX, p. 545. ed. c.

et alii philosophi veteres Verbi platonici subsistentiam agnoverunt, fuere etiam, iique antiquiores, qui nihil simile in Platone viderunt. Ex omnibus enim auctoribus, qui ante secundum Ecclesiæ sæculum scripserunt, nullus invenitur, qui λόγου platonici hypostasim commemoraverit; attamen multi, uti Cicero, Plutarchus et alii, Platonis doctrinam penitus investigarunt, ejusque principia, *Deum*, *materiam* et *ideas* probe cognoverunt (1). Præterea Veteres, qui a Platone λογῳ suo subsistentiam tribui putaverunt, hoc fecerunt epistolarum haud germanarum testimoniis potissimum innixi. Unde fit, ut illorum testimonium parvi ponderis sit. Quis vero miretur, Patres Verbi subsistentiam apud Platonem doceri facile credidisse, cum secum reputaverit, eos in ea sententia versatos fuisse, ut existimarent, philosopho græco innotuisse sacros Veteris Testamenti libros, in quibus Verbi subsistentiam doceri arbitrabantur? Quis porro ignorat, Patres illos in nonnullis ad auctores haud ita graves provocasse? Ad hæc, meminerimus, Neoplatonicos inter et alios veteres philosophos maximam fuisse in explicanda Platonis Trinitate discordiam.

Ergo concludere licebit, nullo sat firmo fundamento niti eorum sententiam, qui propriam Verbo platonico subsistentiam attribuunt.

Quod vero attinet ad alterum, quod supra affirmavimus, nempe λόγον a Platone merum Dei attributum identidem vocari, illud vel ex hoc solo *Timæi* loco extra dubium ponitur: *Ex hac igitur ratione* (λόγος) *et consilio divino* (διανοία Θεοῦ) *ut tempus procrearetur*, inquit, *sol et luna et quinque aliæ stellæ quæ vocantur errantes, ad temporis numeros distinguendos atque conservandos facta sunt* (2). Ubi λόγον nihil nisi Dei cogitationem significare manifestum est.

(1) Maran, opp. S. Just. præf. p. XV.

(2) Ἐξ οὖν λόγου καὶ διανοίας Θεοῦ τοιαύτης πρὸς χρόνου γένεσιν,

Ex iis quæ hactenus de Platonis λόγῳ disseruimus, apparet, ni fallor, ejus doctrinam a dogmate catholico omnino differe, nec quidpiam cum eo nisi fere nudum nomen commune habere, quum λόγος apud Platonem mera quaedam Dei perfectio, apud Catholicos vero realis sit hypostasis. Sed de Platone jam satis. Ad Philonem progredimur.

B. de Λόγῳ philonis.

Tempore nascentis ecclesiæ Philo floruit, homo Judæus, philosophiæ addictus Platonicæ, quacum Orientalium traditiones et doctrinam sacrorum librorum Veteris Testamenti consociare studuit. Quid Philo λόγον intellexerit, inter eruditos disputatur. Alii arbitrantur, λόγον apud Philonem nonnisi virtutem quamdam et perfectionem divinam designare; atque ita, inter alios, sentiunt Souverainius (1), et L. Moshemius (2). Alii vero existimant, Philonem per λόγον personam Deo summo consubstantialem et æqualem intellexisse; atque adeo illum catholice omnino de Verbo sensisse (3). Alii denique affirmant, λόγον Philoni fuisse naturam quamdam hypostaticam Deo inferiorem, sed a Deo ortam, proindeque philosophum judæum potius cum Arianis, qui duplicem λόγον ponebant, unum ἀνυπόστατον, alterum personale, quam cum Catholicis fecisse (4); ac postrema haec multorum nostra aetate sententia est.

ἵνα γεννηθῇ χρόνος, ἥλιος καὶ σελήνη καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα, ἐπίκλην ἔχοντα πλάνητες, εἰς διορισμὸν καὶ φυλακὴν ἀριθμῶν χρόνου γέγονε. Opp. t. 5, p. 154.

(1) *Platonisme dévoilé*, c. X, p. 98.

(2) In suis notis ad Cudworthii *Syst. intell.* c. IV, § 36, n. (v) p. 828.

(3) Bullus, *D. F. N.* Sect. I, c. I, § 16; Cudworthus, *Syst. intell.* c. IV, § 36; P. Maran, lib. c. I. IV, c. I.

(4) Petavius, *de Trin.* lib. I, c. II; Grossmann, *Quæst. phil.* part. 2, p. 68, Lips. 1829; Maret, *Théodicée*, 12me leçon, p. 169; Ginoulhiac, lib. c. t. II, c. X, p. 649, sq.; Læmmer, lib. c. p. 19; alii.

At vero in errore versantur tam ii qui arbitrati sunt, λόγον Philonis meram Dei proprietatem esse, quam illi qui λόγον Philonis Deo ὁμοούσιον et æqualem dixerunt. Certum enim est, Philonem λόγῳ suo tribuisse propriam personalitatem, sed naturam a Deo diversam Deoque inferiorem. Et ad propriam personalitatem quod attinet, haec verbis tam apertis a Philone λόγῳ suo adscribitur, ut nihil apertius dici queat. Sic in libro de *Profugis* λόγον depingit tanquam eum qui in anima vivit ac inhabitat, eamque a noxiis avertit : *Quamdiu hoc sacratissimum Verbum vivit et superest in anima, non est possibile verti eam sponte in deterius* (1). Deinde post pauca ita colligit : *Ideo votis omnibus expetendum est, ut vivat in anima pontifex, judex simul et reprehensor, qui pro mentis tribunali erga reorum personas sit indifferens* (2). Ast, quæso, nonne Verbum illud quod in anima vivit eamque a peccatis retrahit, quod veluti pontifex, judex simul et reprehensor exhibetur, manifeste personam quamdam significat? Et idem Philo alibi λόγον vocat primogenitum Dei Filium qui, mundo universo a Deo præpositus, res omnes regit ac moderatur : *Sicut quemdam gregem, terram, aquam, aërem, ignem et quidquid in his continetur vel stirpium, vel animalium, mortalium divinorumque; adhæc, cœli naturam, solis ac lunæ circuitus, revolutiones ceterorum siderum choreasque concinnissimas, tanquam pastor ac rex Deus regit jure legeque*, præfecto his recto Verbo primogenito Filio, qui curam sacri hujus gregis tanquam magni regis vicarius (ὕπαρχος) in se reci-

(1) Ἕως μὲν γὰρ ὁ ἱερώτατος οὗτος λόγος ζῇ καὶ περίεστιν ἐν ψυχῇ, ἀμήχανον τροπὴν ἀκούσιον εἰς αὐτὴν κατελθεῖν. P. 467 ed. Paris (1640).

(2) Διόπερ ἄξιον εὔχεσθαι ζῆν ἐν ψυχῇ τὸν ἀρχιερέα, δικαστὴν ὁμοῦ καὶ ἔλεγχον, ὃς ὅλον ἡμῶν τὸ διανοίας ἀποκεκληρωμένος δικαστήριον ὑπ' οὐδενὸς τῶν ἀγομένων εἰς κρίσιν δυσωπεῖται. Ibid.

piat (1). Ubi Philonem de Verbo tamquam de persona loqui manifestum est.

His vero consonat quod in libro *de confusione linguarum* legitur : *Ex Mosis quoque socio quodam audivimus dictum hoc*, inquit, *Ecce homo cui nomen Oriens. Nova appellatio, si intelligatur de homine qui constat ex anima et corpore. Sin autem de illa incorporea Deum referente imagine, fateberis ei nomen hoc inditum aptissime.* Hunc enim antiquissimum Filium (πρεσβύτατον υἱόν) rerum Pater exoriri voluit, quem alibi primogenitum (πρωτόγονον) nominat : qui genitus mox Patrem imitatus est, et qualia vidit apud eum exemplaria, tales formavit species (2). Quo loco Verbum a Philone Filius antiquissimus ac primogenitus declaratur, diciturque talia effecisse qualia viderat apud Patrem : quæ res profecto soli personæ conveniunt. Eodem collimant Philonis verba, quibus nos hortatur, ut si necdum Dei supremi, Verbi saltem filii esse conemur : *Quod si nondum quisquam est dignus ut Dei filius appelletur, tu tamen da operam* ut ornatus sis sicut Verbum ejus primogenitum, angelus antiquissimus, et quidam variarum appellationum archangelus : videlicet, principium, nomen Dei verbumque dictus, et homo κατ' εἰκόνα, et videns ille Israël. *Quamobrem superius adductus sum ut laudarem eos qui sui generis initia referunt ad unum virum communem Parentem. Nam si nondum idonei sumus ut nominemur Dei filii*, simus sal-

(1) Καθάπερ γάρ τινὰ ποίμνην γῆν καὶ ὕδωρ καὶ ἀέρα καὶ πῦρ καὶ ὅσα ἐν τοῦτοις φυτά τε αὖ καὶ ζῶα... ὡς ποιμὴν καὶ βασιλεὺς ὁ Θεὸς ἄγει κατὰ δίκην καὶ νόμον, προστησάμενος τὸν ἐρθὸν αὐτοῦ λόγον, πρωτόγονον υἱόν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης ἀγέλης, οἷά τὶς μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται. De *Agricultura*, p. 195.

(2) Τοῦτον μὲν γὰρ πρεσβύτατον υἱὸν ὁ τῶν ὄντων ἀνέτειλε πατήρ, ὃν ἑτέρωθι πρωτόγονον ὠνόμασε, καὶ ὁ γεννηθεὶς μέντοι μιμούμενος τὰς τοῦ πατρὸς ὁδοὺς, πρὸς παραδείγματα ἀρχέτυπα ἐκείνου βλέπων, ἐμόρφου εἴδη. P. 329.

tem Sermonis illius sacratissimi, qui ejus sempiterna imago est. Imago enim Dei est Verbum illud antiquissimum (1). Quibus in verbis Philo, præterquam quod λόγον, Dei primogenitum, angelum antiquissimum, archangelum πολυώνυμον appellat, homines incitat ut λόγου illius filii evadant. Quod certe non fecisset, nisi λόγον hypostasin existimasset. Cum his congruunt, quae in libro de *Migratione Abrahami* scripsit. Nam ibi postquam intellectum in ipsa ratione sedem habere, Deumque, utpote hujus universitatis intellectum, in suo λόγῳ velut in domo esse dixisset, paucis interjectis, haec subjungit : *Ergo quæ alia* (domus) *potest esse*, *nisi* Sermo ille sive ratio creaturis antiquior, per quem tanquam clavum (οἴαξ) gubernator optimus maximus cuncta dirigit : *quo et in mundi creatione instrumento* (ὀργάνῳ) *usus est* (2). Neque existimes, Philonem hoc loco λόγον ut instrumentum ἀνυπόστατον ac passivum creationis gubernationisque rerum omnium a Deo peractæ exhibere; nam in libro de *Cherubim* λόγος ipse rerum omnium gubernator diserte ab eo nominatur : *Qui est ad clavum* (πηδαλιοῦχος) gubernator rerum omnium (κυβερνήτης τοῦ παντὸς) *sermo Dei* (λόγος θεῖος), etc. (3). Porro in libro de *Somniis* Philo docet, λόγον eum fuisse, qui sulphur et ignem super Sodomam et Gomorram horrifice perfuderit. Nam, recitatis iis Sacræ Scripturæ verbis : *Sol exortus est super terram et Lot intravit in Segor et Dominus pluit super Sodomam ac Gomorram sulfur et ignem*, continuo addit : *Cum enim Dei Verbum in terrenam istam nostram compagem pervenit, virtutis cognatis sectatoribusque auxiliatur, salutare præbens*

(1) In eodem lib. p. 541.

(2) Τίς ἂν οὖν εἴη, πλὴν ὁ λόγος ὁ πρεσβύτερος τῶν γένεσιν εἰληφότων, οὗ καθάπερ οἴακος ἐνειλημμένος ὁ τῶν ὅλων κυβερνήτης πηδαλιουχεῖ τὰ σύμπαντα; καὶ ὅτε ἐκοσμοπλάστει, χρησάμενος ὀργάνῳ τούτῳ πρὸς τὴν ἀνυπαίτιον τῶν ἀποτελουμένων σύστασιν. P. 389.

(3) P. 114.

refugium; adversariis vero immittit perniciem inevitabilem (1). Sane putem, neminem adeo stupidum ac stolidum esse, ut dicere possit, non agi hoc loco nisi de simplici Dei proprietate aut de mero divinitatis attributo. Ad haec, docet quoque Philo, λόγον ipsum eum esse, qui cum Adamo in Paradiso collocutus sit, qui Mosem e rubo vocaverit, quique Abrahamo apparuerit : *Sacer Sermo aliis ut rex facienda imperat, alios ut præceptor familiares discipulos utiliter instituit..... interdum sciscitatur ex quibusdam, sicut ex Adamo illud, ubi es?..... quando Sermo ille venit in amicorum consistorium non prius incipit dicere quam unumquemque nominatim appellet..... ad hunc modum e rubo Moses vocatur.... sic et Abraham* (2).

Præclarissimis hisce testimoniis alia duo, eaque nova, adjiciam (3). Excerpta haec sunt ex libris Philonis deperditis, qui a J. B. Auchero ex armeniaca versione in sermonem latinum translati nuperrime vulgati sunt. Et prius quidem sic habet : *Dei autem Verbum rector est ac dispensator uni-*

(1) Ὁ γὰρ τοῦ Θεοῦ λόγος, ὅταν ἐπὶ τὸ γεῶδες ἡμῶν σύστημα ἀφίκηται, τοῖς μὲν ἀρετῆς συγγενέσι καὶ πρὸς ἀρετὴν ἀποκλίνουσιν ἀρήγει καὶ βοηθεῖ, ὡς καταφυγὴν καὶ σωτηρίαν αὐτοῖς πορίζειν παντελῆ, τοῖς δὲ ἀντιπάλοις ὄλεθρον καὶ φθορὰν ἀνίατον ἐπιπέμπει. P. 578.

(2) *De Somniis* p. 593 sq.

(3) Notum est, paucis abhinc annis plures Philonis libros deperditos cura card. Angel. Maii et F. B. Aucheri publicam in lucem prodiisse, in operibus, quæ ita inscribuntur : *Philonis Judæi de Cophini festo et de colendis parentibus cum brevi scripto de Jona.* Ed. ac interp. Ang. Maio, etc. Mediolani 1828. *Philonis Judæi sermones tres hactenus inediti : I et II de Providentia et III de animalibus, ex Armena versione antiquissima ab ipso originali textu græco ad verbum stricte exsequuta, nunc primum in Latium fideliter translati* per P. J. B. Aucher, Ancyranum, monachum Armenum et Doctorem Mechitarensem. Venetiis. 1822. *Philonis Judæi Paralipomena Armena, libri videlicet quatuor in Genesim, libri duo in Exodum, sermo unus de Sampsone, alter de Jona, tertius de tribus angelis Abrahamo apparentibus, opera hactenus inedita, ex armena vers. translata* per P. J. B. Aucher. Venetiis. 1826.

versorum (1). Alterum vero tale est : *Verbum*, inquit, *est sempiternum sempiterni Dei, caput universorum; sub quo pedum instar aut reliquorum quoque membrorum subjectus jacet universus mundus, supra quem transiens constanter stat. Non quidem eo quod Christus Dominus est, supra mundum transiens sedet; sedes enim ejus juxta suum Patrem est Deum*, sed quia necessarium est mundo ad perfectam plenitudinem pro cura habenda exactissimæ dispensationis (2). Quid autem significantius ad affirmandam λόγου subsistentiam dici potest, quam illum declarare rerum omnium rectorem ac dispensatorem, qui mundo necessarius sit pro cura habenda exactissimæ dispensationis? Igitur, ut concludamus, certissimum est, Philonem λόγῳ suo reapse propriam personalitatem attribuisse.

Quod vero attinet ad alterum quod affirmavimus, nempe λόγον Philoni naturam a Deo diversam Deoque inferiorem esse, illud etiam argumentis haud infirmis efficitur. Sic in libro de *Somniis* ad verba *Genes.* (XXXI, 13) : *Ego sum ille Deus quem in loco Dei vidisti*, λόγον nonnisi abusive sive per catachresin Deum appellari docet : *Hic locus*, inquit, *non est cursim prætereundus, sed diligenter examinandus, an duo dii sint. Legitur enim :* Ego sum ille Deus (ὁ Θεὸς) qui tibi apparui, *non in loco meo, sed* in loco Dei (Θεὸς), *quasi alterius. Quid igitur dicendum? Revera Deus unus est, abusive* (ἐν καταχρήσει) *autem plures : ideo Sacra Scriptura nunc illum verum per articulum indicat, dicens :* ego sum ille Deus (ὁ Θεὸς). *Ceterum abusive dictum sine articulo enuntiat*, qui apparui tibi in loco Dei (Θεὸς), *nihil adjungens ad Dei vocabulum.* Vocat autem Deum (Θεὸν) nunc antiquissimum Sermonem suum, non superstitiose de nominibus sollicitus, sed unum spectans finem propositum (3). Atqui

(1) *Quæstt. in Gen.* l. IV, § 110, p. 133. Opp. vol. VII, ed. Lipsiæ 1830.
(2) *Quæstt. in Exod.* l. II, § 117, p. 346 ejusd. tom.
(3) Μὴ παρέλθῃς δὲ τὸ εἰρημένον, ἀλλ' ἀκριβῶς ἐξέτασον, εἰ τῷ

si Verbum nonnisi improprie Deus vocatur, utique verus non est Deus, Deo supremo consubstantialis et æqualis. Idipsum porro clare conficitur ex Philonis fragmento, quod nobis servavit Eusebius, ubi philosophus Judæus inquirens, cur apud Moysem Deus dicat, *in imagine Dei feci hominem*, non autem in sua? ita loquitur : *Præclare et sapienter editum est illud oraculum.* Nihil enim mortale ad summi illius ac rerum universarum parentis imaginem fieri poterat, sed ad secundi Dei (δεύτερος Θεὸς) qui est ejus Verbum. *Oportebat enim rationalem in hominis animo formam Verbi speciem referre ; quum* Deus qui λόγον antecedit, melior sit omni rationali natura; *Deo vero, qui est supra verbum* (ὑπὲρ τὸν λόγον), *in meliori* (βελτίστῃ) *ac singulari specie* (ἐξαιρέτῳ ἰδέᾳ) *constituto* (καθεστῶτι), *nihil γενητὸν fas erat assimilari* (1). Idem locus apud Armenum ita exhibet : *Optime et sine mendacio hoc oraculum a Deo datum est : mortale enim nihil formari ad similitudinem supremi patris universorum poterat*, sed ad normam secundi Dei, qui est ejusdem Verbum. *Siquidem oportet rationalem hominum animam typum Verbi divini præ se ferre : quoniam* primo Verbo Deus superior est rationalissima natura; ille vero qui superior Verbo est, in meliori ac singulari specie locum tenet; *et quomodo poterat creatura similitudinem ejus in se præferre* (2)? Itaque Philo hisce verbis decla-

ὄντι δύο εἰσὶ θεοί· λεγεται γαὰρ, Ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς ὁ ὀφθείς σοι, οὐκ ἐν τόπῳ τῷ ἐμῷ, ἀλλ' ἐν τόπῳ Θεοῦ, ὡς ἂν ἑτέρου. Τί οὖν χρὴ λέγειν; Ὁ μὲν ἀληθείᾳ Θεὸς εἷς ἐστιν· οἱ δ' ἐν καταχρήσει λεγόμενοι πλείους. Διὸ καὶ ὁ ἱερὸς λόγος ἐν τῷ παρόντι τὸν μὲν ἀληθείᾳ δια τοῦ ἄρθρου μεμήνυκεν, εἰπὼν, Ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς· τὸν δ' ἐν καταχρήσει χωρὶς ἄρθρου, φάσκων, ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ, οὐ τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' αὐτὸ μόνον, Θεοῦ. Καλεῖ δὲ Θεὸν τὸν πρεσβύτατον αὐτοῦ νυνὶ λόγον, οὐ δεισιδαιμονῶν περὶ τὴν θέσιν τῶν ὀνομάτων, ἀλλ' ἓν τέλος προτεθειμένος πραγματολογῆσαι. P. 599 ed. Paris. Cfr. ed. Lipsiæ, p. 262, vol. III.

(1) *Præpar. evang. lib.* VII, c. XIII. Phil. opp. vol. VI, ed. Lips. p. 175.

(2) Opp. vol. VI, § 62, p. 336, ed. Lips.

rat, hominem non dici factum ad imaginem Dei summi, sed ad normam Dei secundi sive Verbi; quia Deo summo, utpote Verbo superiori, ac in meliori singularique specie posito, nihil θνητὸν, nihil γενητὸν assimilari potest. Neque minus diserte inferiorem Verbi conditionem in libro *quis rer. div. hæres* auctor noster significat : *Ceterum illi Angelorum principi* (ἀρχάγγελος), *Sermoni antiquissimo, hoc eximium donum concessit Pater omnipotens,* ut in confinio stans (μεθόριος στὰς), facturam a factore discerneret. *Idem supplex immortalem appellat pro mortalibus deprecans, et a summo rege legatione ad subditos fungitur. Quod donum tam libenter accipit, ut jactet etiam dicens :* et ego steteram medius inter vos et Dominum. Videlicet nec ingenitus ut Deus, nec genitus ut vos, sed inter extrema medius (μέσος) (1). Hic vides Verbum a Philone depingi tamquam eum qui medium locum inter Deum hominesque occupet. Cum his conveniunt, quae Philo tradit in suis *quæstionibus in Exod.* lib. II § 68, ubi recitatis illis Sacræ Scripturæ verbis : *Quid est : loquar tibi desursum ex propitiatorio, medio duorum Cherubim?* hæc inter alia subdit : *Excellit tamen eo quod in medio est, divinum Verbum, Verbum autem superat qui dicit* (2). Ibi ergo Deus a Philone aperte Verbo superior dicitur. Denique in libro de *Cherubim* idem docet, Verbum non fuisse causam, sed merum creationis instrumentum (ὄργανον) (3).

Hæc autem et quæ præterea ex Philone loca recitari possent, perspicue ostendunt, eumdem λόγῳ suo naturam Deo inferiorem tribuisse. Non desunt tamen qui dicant,

(1) Τῷ δὲ ἀρχαγγέλῳ καὶ πρεσβυτάτῳ λόγῳ δωρεὰν ἐξαίρετον ἔδωκεν ὁ τὰ ὅλα γεννήσας πατήρ, ἵνα μεθόριος στὰς τὸ γενόμενον διακρίνῃ τοῦ πεποιηκότος.... οὔτε ἀγέννητος ὡς ὁ Θεὸς ὤν, οὔτε γεννητὸς ὡς ὑμεῖς, ἀλλα μέσος τῶν ἄκρων. P. 509.

(2) Aucher, lib. c. p. 516. Opp. Phil. vol. VII, p. 322. ed. Lipsiæ.

(3) P. 129 ed. Paris.

Philonem Verbi cum Deo consubstantialitatem et æqualitatem docuisse. Afferunt autem, ut sententiam suam tueantur, omnia illa Philonis loca, in quibus λόγον tanquam attributum à Deo penitus indistinctum exhibet. Sic, inter alia, maxime urgent locum illum libri de *mundi opificio*, in quo λόγος ut cogitatio Dei jam mundum condentis, vel ut mundus intelligibilis a Philone depingitur (1). At vero probandum illis erat, quod non faciunt, in hoc et similibus locis, in quibus λόγος veluti Dei proprietas quædam exhibetur, ibidem quoque exhiberi tamquam distinctâ prædituin subsistentiâ, non vero tamquam merum dumtaxat Dei quoddam attributum. Adducunt quidem loca alia in quibus Verbi personalitas declaratur, sed non advertunt, λόγον iisdem in locis a Philone ceu naturam Deo inferiorem exhiberi. Ex quo colligere est, duplicem λόγον a Philone admitti, unum ἀνυπόστατον, qui sit virtus divina, alterum personalem qui sit a Deo diversus Deoque inferior. Nisi forte dicatur, Philonem sibi contradixisse, quod nobis necdum probatum est. His de Philone dictis, ad Neoplatonicos accedimus.

C. de Λόγῳ sive Νῳ neoplatonicorum.

Ex philosophis Neoplatonicis nullus alius hic audiendus est quam Plotinus. Nam quamquam Ammonius Saccas, scholæ Neoplatonicæ fundamenta jecit, nihil tamen scripto ipse reliquit, et doctrina ipsius prorsus occulta remansit; quod autem ad Plotini successores attinet, nihil aliud nisi majorem doctrinæ Plotinianæ evolutionem tradidere.

Plotinus ergo, qui veluti Neoplatonicorum coryphæus jure merito consideratur, Lycopoli anno circiter 205 natus, quum octavum ac vigesimum ætatis suæ annum age-

(1) P. 3 sqq. ed. Paris.

ret, Alexandriæ se contulit, ibique, Ammonii Saccæ scholas ingressus, illum per annos undecim sedulus audivit. Postea vero annos novem atque triginta natus, Gordiani imperatoris, qui bellum Persis indixerat, exercitui se adjunxit, quo factum est, ut Persarum et Indorum sapientiam indagare posset. Gordiano interempto, Plotinus Antiochiam venit, deinde Romam, ubi philosophiam excoluit, ac circa annum 270 e vita discessit.

Age vero, videamus, quid Plotinus de νῳ sive λόγῳ senserit. Moshemius in suis observationibus ad Cudw. *Syst. intell.* n. (e) p. 872, existimat, Plotino νοῦν vel λόγον nihil esse nisi divinam rationem seu intelligentiam adeoque Dei proprietatem aliquam sive perfectionem; alii vero ac præsertim Eclectici recentiores, qui Plotini doctrinam tam avide explorarunt, contendunt, νοῦν apud Plotinum veram esse hypostasim a *Bono* sive summo Deo distinctam, eoque inferiorem (1). Atque hanc sententiam, quæ vera esse videtur, ex ipso Plotini libro probant, variis adductis locis, quorum nonnulla hic subjicimus.

Igitur, Plotinus agens (*Ennead.* V, lib. I, cap. VI) de Mente (νῳ) sive Verbo (λόγῳ) a Bono sive Deo summo generato, primum declarat, generationem illam non esse generationi temporali similem : *Procul esto nunc a nobis*, inquit, *generatio temporalis verba de sempiternis in præsentia facientibus; et, si quando inter loquendum generationem eis attribuamus, ratione causæ ordinisque cujusdam generationem in medium adducentibus* (2). Porro generationem illam, quam

(1) Petavius, *de Trin.* lib. 1, c. I, n. III; Cudworth. *Syst. intell.* c. IV, § 36; J. Simon, *Hist. de l'Ec. d'Alex.* t. II, c. III; Vacherot, *Hist. crit. de l'Ec. d'Alex.*, t. I, Analyse, l. I, c. II; Barthelem. S. Hil., *de l'Ec. d'Alex.*, p. 260. sq.; D. Saisset, *Essais sur la phil. et la relig.* p. 167 sqq.

(2) Ἐκ ποδῶν δὲ ἡμῖν ἔστω γένεσις ἡ ἐν χρόνῳ τὸν λόγον περὶ τῶν ἀεὶ ὄντων ποιουμένοις, τῷ δὲ λόγῳ τὴν γένεσιν προσάπτοντας αὐτοῖς, αἰτίας καὶ τάξεως αὐτοῖς ἀποδώσει. P. 487 ed. Basil. 1615.

vocat, ita describit, ut manifeste eam habeat pro cæca quadam atque necessaria emanatione : *Quod igitur inde gignitur, dicendum est superiore non agitato gigni, alioquin si motu illo aliquid generetur, certe id quod gignitur, non secundum, sed tertium erit ab illo post motum.* Quamobrem necessarium est, cum illud sit prorsus immobile, si quid secundum post ipsum nascitur, id profecto illo neque annuente, neque voluntate decernente, neque ullo pacto commoto subsistere » (1). Postea ejusmodi emanationem illustrat exemplis a fulgore solis, ignis calore, frigore nivis, rerum odoratarum sublimine petitis : *Quonam igitur pacto*, inquit, *quidve nobis est circa illud stabile cogitandum? Lumen undique circumfusum ex ipso dependens, ex ipso, inquam, penitus quiescente, ceu fulgorem circa solem, quasi circumcurrentem, ex ipso semper manente progenitum. Jam vero res omnes quatenus naturaliter perseverant, ex ipsa sui essentia præsenteque virtute necessarium circa se foras naturam producunt ab ipsis dependentem, quæ quidem imago sit velut exemplaris unde manavit. Ignis quidem ex se foras emittit calorem, nix quoque frigus non intrinsecus tantum cohibet; præcipue vero id res odoratæ testantur* (2).

Mens autem a Deo supremo sic emanavit, ut distinctam quidem hypostasim constituat, sed ab eo minime separetur : *Videt* (Mens) *vero Deum minime inde separata* (οὐ χωριστὸς ; *sed quoniam est post ipsum, nihilque est medium, quemadmodum nihil medium est inter Animam atque Mentem. Omne vero genitum appetit genitorem, in cujus consecutione sit contentum, præcipue autem quando soli sunt genitor atque*

(1) Τὸ οὖν γινόμενον ἐκεῖθεν, οὐ κινηθέντος φατέον γίγνεσθαι. Εἰ γὰρ κινηθέντος αὐτοῦ τι γίγνοιτο, τρίτον ἀπ' ἐκείνου τὸ γιγνόμενον μετὰ τὴν κίνησιν ἂν γίγνοιτο, καὶ οὐ δεύτερον. Δεῖ οὖν ἀκινήτου ὄντος, εἴ τι δεύτερον μετ' αὐτό, οὐ προσνεύσαντος οὐδὲ βουληθέντος, οὐδὲ ὅλως κινηθέντος ὑποστῆναι αὐτό. Ibid.

(2) Ibid.

genitus. At ubi quod genuit est omnium maximum, necessario genitum ipsi cohæret (*σύνεστιν αὐτῷ*), usque adeo ut *ἑτερότητι* solum separetur » (1). Hæc sane verba cum indivulsam hypostaseon conjunctionem, tum etiam earum distinctionem aperte declarant, quum *ἑτερότητι* sejungantur.

Tametsi vero *νοῦς* hypostasis a Bono discreta sit, eique inseparabili nexu uniatur, est tamen ipso inferior. Audi, si placet, quomodo Plotinus illud diserte doceat : *Quod autem semper est perfectum*, inquit, *semper gignit et sempiternum*, minus (*ἔλαττον*) autem genitum genitore. *Quidnam igitur de perfectissimo est dicendum? Numquid nihil prodit ab eo, an potius ab eo prodeunt quæ omnium maxima sunt post ipsum?* Maximum vero post ipsum est intellectus (*νοῦς*), atque secundum » (2). Ubi Plotinus aperte tradit, *νοῦν*, eo quod a Bono prodierit, illo inferiorem esse; idque, quia minus est genitum genitore. Eodem collimant Plotini verba quæ *Ennead. V*, lib. 3, c. XVI ita leguntur : *Dicendum est, inter illa quæ gignuntur non patere ad superiora, sed ad inferiora processum* (3).

Neque existimandum est, Mentem, juxta Plotinum, ordine solum et origine, ut *λόγος* est in Trinitate christiana, Bono inferiorem esse; nam contrarium multis in locis aperte profitetur. Sic *Ennead. V* loco supra citato loquitur :

(1) Ὁρᾷ δὲ αὐτὸν, οὐ χωρισθεὶς, ἀλλ' ὅτι μετ' αὐτὸν· καὶ μεταξὺ οὐδέν, ὡς οὐδὲ ψυχῆς καὶ νοῦ. Ποθεῖ δὲ πᾶν τὸ γεννῆσαν, καὶ τοῦτο ἀγαπᾷ, καὶ μάλιστα ὅταν ὦσι μόνοι, τὸ γεννῆσαν καὶ τὸ γεγεννημένον. Ὅταν δὲ καὶ τὸ ἄριστον ᾖ τὸ γεννῆσαν, ἐξ ἀνάγκης σύνεστιν αὐτῷ, ὡς τῇ ἑτερότητι μόνον κεχωρίσθαι. L. c. p. 488.

(2) Τὸ δὲ ἀεὶ τέλειον, ἀεὶ καὶ ἀΐδιον γεννᾷ, καὶ ἔλαττον δὲ ἑαυτοῦ γεννᾷ. Τί οὖν χρὴ περὶ τοῦ τελειοτάτου λέγειν, μηδὲν ἀπ' αὐτοῦ; ἢ τὰ μέγιστα μετ' αὐτόν; Μέγιστον δὲ μετ' αὐτὸν νοῦς, καὶ δεύτερον. L. c. p. 487.

(3) Ἐκεῖνα δὲ νῦν λεκτέον, ὡς ἐπεισδῇ ἐν τοῖς γεννωμένοις οὐκ ἔστι πρὸς τὸ ἄνω, ἀλλὰ πρὸς τὸ κάτω χωρεῖν. P. 513.

Quod est intelligibili mundo superius ejusque origo, neque intellectus est, neque mundus intelligibilis, sed simplicius intellectu, simplicius intelligibili mundo (1). Hic itaque Plotinus docet, Deum supremum νῳ adeo superiorem esse, ut non sit ipse neque νοῦς neque κόσμος νοητὸς. Cum his conveniunt, quæ Plotinus *Ennead. V*, lib. 3. c. XIV sic scribit : *Ille præstantior est sermone, ratione, mente, sensu; hæc quidem præbens, non tamen hæc existens* (ὢν) (2). Igitur Bonum sive Deus supremus, ex Plotini sententia, proprietatibus absolutis ac essentialibus a Mente discernitur.

Neque ex verbis Plotini solum id efficitur, sed etiam ex fine quem in excogitanda sua Trinitate animo proposuit. Notum enim est, Plotinum non alia de causa suæ Trinitatis hypostases effinxisse, nisi ut, more Gnosticorum, mundi originem explicaret, sive, ut simplicissimam unitatem absolutamque immutabilitatem, quam in Deo ope dialecticæ assequebatur, cum multiplicitate ac mobilitate rerum mundanarum conciliaret. Jam autem secunda et tertia hypostases Plotinianæ ad hunc finem obtinendum nihil conferrent, si omnes primæ hypostaseos proprietates, omnia ejus attributa, uno verbo, omnimodam ipsius perfectionem haberent. Nam non magis ac ipsa, ut per se patet, cum rebus mobilibus componi possent (3).

Itaque Mens juxta Plotinum vel perfectionibus absolutis Bono inferior est, neque idcirco unam numero cum eo naturam possidet. Hinc Plotinus *Ennead. V*, lib. I, c. VIII suæ Trinitatis hypostases tres naturas appellat : *Parmenides autem loquens apud Platonem*, ait, *exactius inter se distinguit primum ipsum unum, quod et præcipue unum est*

(1) Τὸ πρὸ τούτου τοίνυν τὸ γεννῆσαν αὐτὸ, οὔτε νοῦς, οὔτε κόσμος νοητὸς· ἁπλούστερον δὲ νοῦ, καὶ ἁπλούστερον κόσμου νοητοῦ. P. 514.

(2) Αὐτὸς κρείττων λόγου καὶ νοῦ καὶ αἰσθήσεως παρασχὼν ταῦτα, οὐκ αὐτὸς ὢν ταῦτα. P. 512.

(3) Cfr. J. Simon lib. c.

solumque unum; item secundum unum multa nominat; tertium denique unum atque multa. Hic itaque sic tres dictas confirmat naturas (φύσεις) (1).

Multa alia Plotini de νῷ documenta afferre possem, sed cum testimonia jam adducta satis manifestent ejus sententiam, ideo nova proferre supervacaneum fuerit.

Atque hæc dicta sunto de λόγῳ Platonis, Philonis et Neoplatonicorum. Videamus jam quid Patres secundi et tertii sæculi de Verbo Dei docuerint, ut, instituta collatione, refellantur opinionum commenta, quæ supra (pag. 38) commemoravimus. Initium autem faciemus a Patribus secundi sæculi, quorum agmen ducit S. Justinus.

ARTICULUS I.

PATRES SECUNDI SÆCULI.

§ 1.

S. JUSTINUS.

Inter viros, qui Ecclesiam sæculo secundo sanctitate et doctrina illustrarunt, primum omnium locum sibi vindicat S. Justinus, Martyr. Acerrimus hic Verbi consubstantialitatis defensor exstitit, eamque veritatem passim in suis scriptis docuit perspicue. Attamen rationalistæ hodierni falsissimas de λόγῳ sententias ipsi affinxerunt. Nam Semisch (apud Læmmer, p. 48), ut ab ipso incipiam, scribere non dubitavit, Justinum de æterna Verbi generatione ne cogitasse quidem. Otto vero Justini de Verbo doctrinam ita exponit, quasi sanctus Martyr Philonis de λόγῳ placita fuisset secutus (2). Porro D. Saisset innuit, Justinum neque personarum divinarum consubstantialitatem, neque

(1) P. 490.
(2) Lib. c. p. 85-94 et p. 133-136.

æqualitatem agnovisse (1). Denique E. Vacherot Ottoni suffragatur, his verbis : *Cette théologie*, ait, *reproduit exactement celle de Philon. Dieu, le Verbe, l'Esprit y sont, non point encore trois hypostases* d'une seule et même nature divine, *mais simplement trois principes inégaux en nature et en dignité dont le premier seul est Dieu* (2). Sed quam falsa sint omnia illa opinionum commenta ex indubiis Justini operibus jam sumus ostensuri.

Atque imprimis quamnam sanctissimus vir de Verbo sententiam animo informaverit, egregie discimus ex ejus *apologia prima*, ubi sic loquitur : *Filius autem Dei, qui Jesus vocatur, etiamsi homo tantum esset communi conditione, propter sapientiam dignus foret, qui Filius Dei diceretur. Parentem enim virûm Deûmque scriptores omnes appellant Deum. Quod si modo singulari* (ἰδίως) *et a communi creatione diverso genitum illum ex Deo dicimus Verbum Dei; id ei, ut jam diximus, commune esse credite cum iis qui Mercurium sermonem a Deo internuncium appellant* (3). Unde colligimus, Christum sive Verbum ejusmodi esse Dei Filium, qui proprie ex Deo genitus sit. Quibus optime congruunt, quæ N° insequenti leguntur : *Jesus Christus*, inquit, *solus proprie Filius* (μόνος ἰδίως υἱὸς) *Deo genitus est, quippe Verbum Dei existens et primogenitus et virtus* (4). Igitur Christus Justino solus ac proprie dictus *Dei Filius* existit. Quo nomine, si genuinam ejus notionem spectes, absoluta Filii cum Patre æqualitas exprimitur. Nam

(1) Lib. c. p. 156 sq.

(2) Lib. c. t. I, p. 230.

(3) Υἱὸς δὲ Θεοῦ ὁ Ἰησοῦς λεγόμενος, εἰ καὶ κοινῶς μόνον ἄνθρωπος, διὰ σοφίαν ἄξιος υἱὸς Θεοῦ λέγεσθαι· πατέρα γὰρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε πάντες συγγραφεῖς τὸν Θεὸν καλοῦσιν. Εἰ δὲ καὶ ἰδίως παρὰ τὴν κοινὴν γένεσιν γεγενῆσθαι αὐτὸν ἐκ Θεοῦ λέγομεν λόγον Θεοῦ, ὡς προέφημεν, κοινὸν τοῦτο, κ. τ. λ. N. 22, p. 57 ed. Maran.

(4) Ἰησοῦς Χριστὸς μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ Θεῷ γεγέννηται, λόγος αὐτοῦ ὑπάρχων καὶ πρωτότοκος καὶ δύναμις. N. 23, p. 57.

quis est qui nesciat, Filium esse, maxime in Deo, perfectam Patris imaginem, nec ab eo differre, nisi quod Pater genitor sit, Filius vero genitus? Itaque si Pater hypostasis est, si verus natura Deus, si immensus et immutabilis, etc., quod Justinus docet ac adversarii fatentur, Filius etiam persona est Patri æqualis, verus essentia Deus, immensus et immutabilis, etc. Quibus haud dubie Filii cum Patre vera ac æterna consubstantialitas manifestissime statuitur.

Hinc patet, Ottonem longissime a vero aberrare, dum scribit, Christum a Justino vocari υἱὸν (πρωτότοκον, μονογενῆ) τοῦ Θεοῦ, *tum propter majorem dignitatem ac sapientiam in eo conspicuam, tum propter insitam ei naturam divinam* (1). Non enim idcirco Christus a Justino Dei Filius unigenitus et primogenitus appellatur; sed quia solus vere ac proprie ante sæcula sive ab æterno ex Deo genitus sit. Apposite Tertullianus : *Primogenitus*, ait, *ut ante omnia genitus; et unigenitus, ut solus ex Deo genitus* (2).

Præclarissima etiam invenies in *Apol.* II, ubi S. Martyr hæc habet : *Ejus* (Dei) *autem Filius, solus proprie* (κυρίως) *dictus Filius, Verbum ante creaturas, et* (ei) *coexistens et genitum* (γεννώμενος), *cum* (ὅτε) *per illud initio omnia condidit et ornavit; hic, inquam, Filius, eo quod unctus sit et per eum Deus omnia ornaverit, Christus vocatur* (3). Ex quibus rursum habemus, Verbum esse solum ac proprie dictum Dei Filium, itaque Patri ὁμοούσιον et æqualem, licet personalitate ab eodem distinctum. Imo inde perbelle conficitur, Verbum verum Dei Filium exstitisse, etiam ante res omnes creatas; necnon et ante generationem illam, quam adver-

(1) Lib. c. § 58. p. 134.

(2) *Adv. Prax.* c. VII.

(3) Ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱός, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων, καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε· Χριστὸς μέν, κατὰ τὸ κεχρίσθαι, καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεὸν, λέγεται. N. 6, p. 92.

sarii, maxime ex hoc loco, haud multum ante mundi originem Verbo adscribunt. Nam ibidem perspicue traditur, Verbum, sive, quod idem est, solum proprie dictum Dei Filium, ante omnem creaturam una cum Patre adfuisse (συνὼν), ac genitum esse, non ante rerum originem, ut adversarii volunt, sed *cum* (ὅτε) *Deus initio per illud omnia condidit*, id est, in ipsa mundi creatione. Ex quibus aperte evincitur prior alia quædam Verbi generatio, qua proprius Dei Filius evaserit. Quæ quidem generatio, cum tempus omne præcesserit, æterna sit necesse est. His demum adjicias, quod Verbum hoc loco e numero creaturarum eximitur ac rerum omnium conditor diserte declaratur.

Præterea æterna Verbi filiatio sive generatio in *Dialogo cum Tryphone* expresse traditur, hisce verbis : *Qui* (Filius) *et advenit, ut homo fieret ex Virgine Maria ac semper est* (ἐστιν ἀεὶ) (1).

Porro immensitas a Justino prophetarumque inspiratio Verbo tribuitur : *Christo autem*, ait, *quem Socrates aliqua ex parte cognovit* (*erat enim et est Verbum illud omnia pervadens, quod et per prophetas futura prædixit, et per seipsum, cum natura nostra suscepta hæc doceret*) *Christo, inquam, non philosophi solum et litterati credidere, sed operarii etiam et omnino imperiti* (2). Quæ verba mentem Justini perspicue produnt ac optime refellunt Læmmerum dicentem : *Filii essentia quantitative a Patris essentia differt.*

Passim etiam S. Doctor Dei nomen et appellationem Verbo sive Christo adscribit. Sic in *Dialogo cum Tryphone*

(1) N. 113. p. 206.

(2) Χριστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι. (λόγος γὰρ ἦν καὶ ἐστιν ὁ ἐν παντὶ ὢν, καὶ διὰ τῶν προφητῶν προεῖπεν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ δι' ἑαυτοῦ ὁμοιοπαθοῦς γενομένου καὶ διδάξαντος ταῦτα) οὐ φιλόσοφοι οὐδὲ φιλολόγοι μόνον ἐπείθησαν, ἀλλὰ καὶ χειροτέχναι, καὶ παντελῶς ἰδιῶται. *Apol.* II, n. 10, p. 95.

de Christo haec ad Judæos dicit : *Si intellexissetis*, inquit, *quæ a Prophetis dicta sunt, non eum negassetis Deum* (Θεὸν) *esse, solius et ingeniti et non enarrabilis Dei Filium* (1). In *Apologia I*, Verbum ab eo ita Mosi loquens exhibetur : *Ego sum existens ille* (ὁ ὤν), *Deus* (ὁ Θεὸς) *Abraham, Deus* (ὁ Θεὸς) *Isaac et Deus* (ὁ Θεὸς) *Jacob* (2). Ac aliquanto post de Filio ait : *Qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est* (3). Qua sane appellatione vera ac suprema Verbi divinitas significatur. Neque enim cum Wegscheidero (4) et Ottone (5) ex absentia articuli concludere licet, vocem Θεὸς sensu figurato ibidem fuisse adhibitam. Nam vox Θεὸς hoc loco *praedicatum* est ; solet autem a praedicato articulus fere abesse. Neque rursus cum eodem Ottone (6) dici potest, hunc titulum *animi inflammationem et intimas permotiones redolere*, Christoque tributum fuisse *quia primogenitus sit omnium creaturarum*, id est, in sensu Ottonis, *quia genitus est, non quidem ab æterno, sed paulo ante res creatas.* Nam in loco Justini, ad quem provocat, æterna generatio intelligenda est (7) ; quo sensu Christus a Paulo (ad *Col.* I. 15) *primogenitus omnis creaturæ* appellatus est. Neque porro audias D. Saisset (8) ex eo argumentantem, quod Ariani Alexandrinique Christum sive Verbum Deum appellaverint. Nam certis argumentis constat, ipsos impropriam vocabulo Θεὸς notionem subjecisse ; id quod nequa-

(1) Εἰ νενοήκατε τὰ εἰρημένα ὑπὸ τῶν προφητῶν, οὐκ ἂν ἐξηρνεῖσθε αὐτὸν εἶναι Θεὸν, τοῦ μόνου καὶ ἀγεννήτου καὶ ἀῤῥήτου Θεοῦ υἱόν. N. 126, p. 219.

(2) Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ὁ Θεὸς Αβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ισαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ιακώβ. N. 63, p. 81.

(3) Ὃς καὶ λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς ὑπάρχει. Ibid.

(4) Lib. c. § 84.

(5) Lib. c. § 58. p. 135.

(6) Ibid.

(7) *Dial.* n. 125, p. 354.

(8) Lib. c. p. 157.

quam de Justino obtinet. Nec magis audiendus E. Vacherot, ubi dicit : *S. Justin affirme bien que le Verbe, premier né de Dieu, est lui-même Dieu. Mais il dit aussi : « Plaçant au deuxième rang le Fils de celui qui est Dieu par essence...»* (Apol. I. 51). *Si le Père est Dieu par essence, le Fils ne peut l'être que par participation. Donc le Verbe est Dieu en un sens et n'est pas Dieu dans l'autre* (1). Nam 1° quod Justinus dicit, gallice non valet *Le Fils de celui qui est Dieu par essence*, sed, *Le Fils de celui qui est vraiment Dieu* (τοῦ ὄντως Θεοῦ). 2° Ista E. Vacherot argumentandi ratio vel falsa est vel nihil probat. Hac enim locutione *par essence* intelligit, aut Patrem *natura* Deum esse, aut Patrem esse Deum *a se*. Si primum, conclusio illa : *Le Fils ne peut l'être que par participation*, omnino non valet. Nam ex eo quod Pater sit *natura* Deus, non sequitur quod Filius non possit etiam *natura* Deus exsistere. Si vero secundum, plane illud ipsum dicit quod omnes Catholici profitentur, scilicet, Patrem esse ingenitum sive ens a se. Sed indè nihil prorsus efficitur contra veram ac substantialem Filii divinitatem, quam a Patre ab æterno accepit. 3° Locus *Apologiæ* l. ab E. Vacherot excitatus, non naturæ et dignitatis inæqualitatem in Patre et Filio indicat, ut ipse contendit, sed meram ipsorum, ratione originis, subordinationem exprimit, quæ a Catholicis omnibus agnoscitur. Optime Gratry (lib. c. p. 36) : *C'est ce que l'on a nommé en théologie*, ait, *la subordination des personnes. Le Père étant inengendré, le Fils engendré du Père, le Saint-Esprit procédant des deux, nous devons placer nécessairement, dans la formule du dogme, le Père en premier lieu, le Fils en second lieu, le Saint-Esprit en dernier lieu. Une autre* syntaxe, *comme s'exprimaient les Grecs, ou l'absence*

(1) *Réponse à l'Univers* (apud Gratry, *Une Etude sur la sophistique contemporaine*, p. 281).

de syntaxe, *serait une hérésie ou une grave lacune dans le dogme... C'est ce qu'on enseigne encore aujourd'hui au catéchisme quand on demande : quelle est la première personne de la Trinité? quelle est la seconde? quelle est la troisième* (1)? Fixum igitur ac inconcussum manet argumentum, quod ex Dei appellatione Christo seu Verbo tributa ducitur.

His accedit quod S. Justinus *veram* Christi divinitatem adversus Judæos ex professo demonstraverit. Postquam enim in *Dialogo cum Tryphone* inter alia docuisset, Messiam ut hominem ita quoque ut Dominum ac Deum adorandum a Prophetis fuisse prædictum (2), simulque asseruisset, Jesum, quem Judæi in crucem egerant, esse Christum sive Messiam (3), a Tryphone rogatus, ut præterea ostenderet, Christum illum non nomine, sed *in rei veritate* (4) *Deum ante sæcula præexstitisse* (5), vel, ut Trypho alibi dicit, *alium Deum a Spiritu prophetico præter Creatorem universorum agnosci* (6), Justinus morem illi gerens : *Enitar*, inquit, *vobis... persuadere, nimirum alium esse et dici sub Creatore universorum Deum et Dominum, qui et Angelus vocatur* (7). Et hoc quidem

(1) Hæc etiam dicta sint contra Ottonem, lib. c. § 45. p. 88 et § 58. p. 136, et contra D. Saisset (l. c.), qui ex hoc loco perfectionis gradus ac inæqualitatem in personis divinis introduci innuit; atque hac occasione Sanctum Martyrem et Patres Alexandrinos et theologos nostros calumniatur : *S. Justin*, inquit, *ne passe pas auprès des théologiens pour avoir toujours été d'une orthodoxie parfaite ou du moins d'une correction irréprochable sur ce point délicat; et l'on sait assez que les Pères Alexandrins ne sont pas des guides infaillibles touchant la distinction des personnes.*

(2) N. 32 sqq.

(3) N. 32-55.

(4) N. 55, p. 150.

(5) N. 48, p. 144.

(6) N. 55 et N. 50.

(7) Πειράσομαι ὑμᾶς πεῖσαι νοήσαντας τὰς γραφὰς, ὅτι ἐστὶ καὶ λέγεται Θεὸς καὶ κύριος ἕτερος ὑπὸ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, ὃς καὶ ἄγγελος καλεῖται. N. 56. p 151.

pluribus argumentis demonstrat, ex quibus tria hic statim recitabo. Sed antea observandum est, Justinum, ubi Filium alium a Patre Deum docet, ibi alium *persona*, non vero alium *natura* intellexisse. Patet hoc vel ex eo loco quem hic subjicimus : *Nec alius unquam erit Deus, o Trypho, nec alius a sæculo exstitit* (*ita ego ad illum*) *præter eum qui hanc universitatem fecit ac disposuit. Neque alium nobis, alium vobis Deum esse ducimus, sed ipsum illum, qui Patres vestros eduxit e terra Egypti in manu potenti et brachio excelso. Neque in alium quemquam speramus* (*non enim alius est*), *sed in eum, in quem et vos, Deum Abrahæ et Isaac et Jacob* (1). Ex quo manifestissime liquet, Deum illum Patriarcharum, quem Justinus haud semel, ut videbimus, alium a Patre omnium creatore Deum pronuntiat, hic eumdem cum ipso Deum ab eo declarari; quod sane fieri non potuisset, nisi eos hypostasi quidem diversos, at natura eosdem agnovisset.

Sed jam, age, recitemus tria illa Justini argumenta quæ promisimus. Primum ergo ex Veteris Testamenti Theophaniis desumit : *Ad Scripturas*, ait, *me referens, persuadere vobis conabor, hunc ipsum qui Abrahæ et Jacobo et Mosi visus esse dicitur, ac Deus a Scriptura vocatur, alium esse ab eo qui omnia creavit Deo, alium, inquam, numero* (*ἀριθμῷ*), *non sententia* (2). Quod argumentum ita evolvit : Scilicet in

(1) Οὔτε ἔσται ποτὲ ἄλλος Θεὸς, ὦ Τρύφων, οὔτε ἦν ἀπ' αἰῶνος, (ἐγὼ οὕτως πρὸς αὐτὸν) πλὴν τοῦ ποιήσαντος καὶ διατάξαντος τόδε τὸ πᾶν. Οὐδὲ ἄλλον μὲν ἡμῶν, ἄλλον δὲ ὑμῶν ἡγούμεθα Θεὸν, ἀλλ' αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν ἐξαγαγόντα τοὺς πατέρας ὑμῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου ἐν χειρὶ κραταιᾷ καὶ βραχίονι ὑψηλῷ. Οὐδ' εἰς ἄλλον τινὰ ἠλπίκαμεν· (οὐ γάρ ἐστιν) ἀλλ' εἰς τοῦτον εἰς ὃν καὶ ὑμεῖς, τὸν Θεὸν τοῦ Ἀβραὰμ καὶ Ισαὰκ καὶ Ιακώβ. N. 11, p. 111.

(2) Ἐπὶ τὰς γραφὰς ἐπανελθών, πειράσομαι πεῖσαι ὑμᾶς, ὅτι οὗτος ὅ τε τῷ Αβραὰμ, καὶ τῷ Ιακὰβ, καὶ τῷ Μωσεῖ ὤφθαι λεγόμενος καὶ γεγραμμένος Θεὸς, ἕτερός ἐστι τοῦ τὰ πάντα ποιήσαντος Θεοῦ, ἀριθμῷ λέγω, ἀλλὰ οὐ γνώμῃ. N. 56, p. 152.

Genesi (XVIII-XIX) dicitur Deus, qui et Dominus vocatur, Abrahæ ad quercum Mambre apparuisse. Sed ille Deus et Dominus non est Pater universorum, a quo ibidem aperte distinguitur. Nam *Genes.* XIX legitur : *Dominus pluit super Sodomam et Gomorram sulphur et ignem a Domino de cœlo* (1). Ubi vides, Dominum qui Abrahæ apparuit ab eo Domino qui in cœlis est, id est, a Creatore universorum, manifeste distingui; quum ille sit cœlestis Domini minister, ab eoque accipiat, ut iræ divinæ thesauros super Sodomam et Gomorram horrifice perfundat. Quod Justinus ipse sic exponit : *Cum dicit propheticus Sermo :* Pluit Dominus ignem a Domino de cœlo, *duos numero esse declarat, alium quidem in terra, quem descendisse dicit ut videret clamorem Sodomorum; alium autem in cœlis, qui et illius in terra apparentis Domini Dominus est, quatenus Pater et Deus, qui ei præstat* (αἴτιος), *ut et potens sit et Dominus et Deus* (2). Quibus ex verbis cum Patris et Filii distincta personalitas, tum etiam æqualis eorum divinitas ac potentia conficitur. Etenim Filius non minus Deus et potens dicitur quam Pater; nec ab ipso differre declaratur, nisi quatenus Pater ei præstat, ut etiam Deus et potens sit, sive, quod idem est, quatenus Pater principium est a quo Filius veluti ex fonte divinitatem ac potestatem æterna generatione haurit, ita tamen ut ab eo non sejungatur, aut ei aliter quam origine inferior sit. Inde patet, falsum esse id quod dicit Læmmer, scilicet Filium a Justino Patri subjici quod attinet ad existentiam, potentiam et dignitatem; nisi hoc simpliciter ra-

(1) Ibid. p. 153.

(2) Ὅταν λέγῃ, ἔβρεξε κύριος πῦρ παρὰ κυρίου ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· δύο ὄντας ἀριθμῷ μηνύει ὁ λόγος ὁ προφητικός· τὸν μὲν ἐπὶ γῆς ὄντα, ὃς φησί καταβεβηκέναι ἰδεῖν τὴν κραυγὴν Σοδόμων· τὸν δὲ, ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπάρχοντα· ὃς καὶ τοῦ ἐπὶ γῆς κυρίου κύριος ἐστιν, ὡς πατὴρ καὶ Θεὸς, αἴτιος τε αὐτῷ τοῦ εἶναι καὶ δυνατῷ καὶ κυρίῳ, καὶ Θεῷ. N. 129, p. 222.

tione originis intellexerit. Hinc etiam elucet, vocem αἴτιον, quæ ibi usurpatur, nonnisi sensu improprio sumi; quomodo nomen illud etiam a Patribus, qui post Synodum Nicænam vixerunt, acceptum fuit, ut videre est apud Petavium, de *Trin.* lib. V. c. V, Tournely, de *Trin.* q. 4. art. 2. sect. 4, aliosque.

Deinde S. Martyr Dei visionem quæ Jacobo obtigit, eadem plane ratione ac theophaniam Abrahamiticam expendit. Nempe qui Jacobo apparuisse in Scripturis (*Gen.* XXVIII, XXXI, XXXII, XXXV) sæpe legitur, is cum Angelus et Dominus pluries, tum Deus quoque iisdem in locis perpetuo vocatur. Imo verbis expressis se Deum esse ipse declarat, dum sequentia profert : *Ego sum Deus qui apparui tibi in loco Dei.* Hinc Justinus fidenter affirmat : *Deus vocatur et Deus est et erit* (Θεὸς καλεῖται, καὶ Θεὸς ἐστι καὶ ἔσται). Atque porro ut etiam demonstret hunc ipsum Deum a Creatore esse distinctum, ad eum *Geneseos* (XXVIII) locum provocat, in quo refertur, illum Deum et Dominum, qui Jacobo visus est, ipsum Abrahæ Deum esse : *Et Dominus incumbebat super eam* (scalam) *et dixit : ego sum Dominus Deus Abraham patris tui* (1).

Denique de theophania, quæ Moysi contigit, agens : *Sustinete me*, inquit, *ex libro quoque Exodi* (*III*) *vobis demonstrantem quomodo ille ipse et Angelus et Deus et Dominus.... qui Abrahæ visus est, in igne flammæ ex rubo apparuerit et colloquutus sit cum Moyse.* Cui quidem locutus est, his verbis : *Vadens congrega senatum Israelis et dices ad eos : Dominus Patrum vestrorum apparuit mihi, Deus* (ὁ Θεὸς) *Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob* (2). Quibus

(1) N. 58, p. 156.

(2) Ἐλθὼν συνάγαγε τὴν γερουσίαν Ισραὴλ, καὶ ἐρεῖς πρὸς αὐτούς, κύριος ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ὑμῶν ὤφθη μοι, ὁ Θεὸς Αβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ισαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ιακὼβ. N. 59, p. 156.

post pauca subjungit : *Profecto qui dixit Moysi se Deum esse Abrahæ et Deum Isaac et Deum Jacob, is, ut vobis ex verbis jam descriptis demonstratum est*, non Creator universorum fuit, *sed idem ac ille quem Abrahæ et Jacob apparuisse, ac Creatoris universorum voluntati ministrare, ejusque consilio pariter in Sodomorum judicio ministrasse demonstratum vobis est; ita ut etiamsi, ut dicitis, duo fuerint et Angelus et Deus, nemo tamen non omnino mente captus auctorem universorum et parentem relictis omnibus supercoelestibus in parva terrae particula visum dicere audeat* (1).

His expositis, ita suam argumentationem concludit : *Quemadmodum igitur Scriptura eum, qui Jacobo in somnis apparuit, Angelum appellat; deinde ipsum illum, qui in somnis apparuit, Angelum ipsi dixisse narrat*, ego sum Deus, qui apparui tibi, cum fugeres a facie Esau fratris tui, *et sub Abraham in judicio Sodomorum Dominum a Domino in cœlis judicium intulisse dixit : ita et hoc loco* (Exod. III) *Angelum Domini Moysi apparuisse referens, ac postea Dominum illum et Deum esse declarans, non alium designat, quam quem pluribus testimoniis jam allatis Deo supermundano, supra quem alius non est, ministrare significat* (2).

Itaque argumentum illud ex Veteris Testamenti theo-

(1) Ὡς καὶ ἀποδέδεικται ὑμῖν διὰ τῶν προγεγραμμένων λόγων, οὐχ ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων ἔσται Θεὸς ὁ τῷ Μωσεῖ εἰπὼν αὐτὸν εἶναι Θεὸν Αβραὰμ, καὶ Θεὸν Ισαὰκ, καὶ Θεὸν Ιακώβ, ἀλλ' ὁ ἀποδειχθεὶς ὑμῖν ὤφθαι τῷ Αβραὰμ, καὶ τῷ Ιακώβ, τῇ τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων θελήσει ὑπηρετῶν, καὶ ἐν τῇ κρίσει τῶν Σοδόμων τῇ βουλῇ αὐτοῦ ὁμοίως ὑπερετήσας· ὥστε κἂν, ὡς φατὲ, ἔχῃ, ὅτι δύο ἦσαν, καὶ ἄγγελος καὶ Θεὸς, οὐ τῶν ποιητὴν τῶν ὅλων καὶ πατέρα καταλιπόντα τὰ ὑπὲρ οὐρανὸν ἅπαντα, ἐν ὀλίγῳ γῆς μορίῳ πεφάνθαι πᾶς ὁστισοῦν, κἂν μικρὸν νοῦν ἔχων, τολμήσει εἰπεῖν. N. 60, p. 157.

(2) N. 60. p. 157.

phaniis ductum eo summatim recidit : Deus verus est ille qui Abrahæ, Jacob et Moysi sub Antiquo Fœdere apparuit; nam Dei nomine in Sacris Litteris sæpissime insignitur; imo ipse se Deum esse expresse declarat. Qua de re nec ipse Trypho dissentit (1). Atqui Deus ille non est Pater omnium creator, sed alius ab ipso numero (ἀριθμῳ) distinctus. Et hoc sane inde constat, quòd Scriptura Sacra eum a Patre manifeste distinguit, quòd Patris Angelus sive nuntius fuerit, ac demum quòd Pater relictis omnibus cœlestibus in parva terræ particula apparere non possit. Ergo verus alius a Patre universorum creatore Deus exsistit (2).

Alterum Justini argumentum ex *Proverbiis Salomonis* (VIII. 21) ducitur, ubi Sapientia veluti a Deo ante omnem creaturam genita cum eoque omnia componens exhibetur : *Alio*, inquit, *etiam vobis ex Scripturis testimonio, amici, demonstrabo Deum ante omnes res creatas* (πρὸ πάντων τῶν κτισμάτων), *initium* (ἀρχὴν) *genuisse ex seipso Virtutem quamdam rationalem, quæ et gloria Domini a Spiritu Sancto vocatur, ac nunc Filius, nunc Sapientia, nunc Angelus, nunc Deus, nunc Dominus et Verbum; interdum etiam Archiducem seipsum appellat, Jesu Filio Nave in forma hominis apparens. Habet enim has omnes appellationes, ex eo quod Patris voluntati ministret, et voluntate de Patre genitus sit. Quale est quod in nobis fieri videmus; aliquem enim sermonem proferentes, sermonem gignimus, nec tamen cum abscissione, ita ut sermo ille, qui in nobis est, dum eum proferimus, imminuatur. Quale est etiam quod videmus ex igne alium ignem nasci, non imminuto eo, ex quo iste accensus est; et qui ex eo accensus est, exstat ipse et apparet, nec eum imminuit ex quo accensus est. Testis mihi erit Verbum*

(1) N. 56. p. 152.

(2) Cfr. Ex. D. Vandenbroeck in dissertatione inaugurali, *De Theophaniis sub Vetere Testamento*, Lovanii 1851.

Sapientiæ, ipse ille Deus (*αὐτὸς ὢν αὐτος ὁ Θεὸς*) *ex* (*ἀπὸ*) *Patre universorum genitus, qui et Verbum, et Sapientia, et Virtus, et gloria est genitoris, et per Salomonem hæc loquitur,* etc. (1). Hic itaque Justinus aperte docet : *a*) Verbum exstitisse ante res omnes creatas, ipsumque proinde creaturam non esse; *b*) Verbum esse *δυνάμιν λογικὴν* sive personam, quæ in Sacris Litteris *Filius* appellatur, *Sapientia*, *Angelus*, *Deus* (*ὁ Θεὸς*), *Dominus; c*) Verbum ante rerum creationem ex Patris substantia esse genitum. Hoc enim aperte demonstrant, tum locutiones *ἐξ ἑαυτοῦ*, *ex seipso*, et *ἀπὸ τοῦ πατρὸς*, *ex Patre*, quæ generationem substantialem significant; tum similitudines ab igne et sermone humano petitæ, quæ Patris substantiam Filio communicari indicant. Jam autem si Verbum, quod certissimum est, ex Patris substantia genitum sit, verus utique Dei Filius existit Patri suo *ὁμοούσιος* et æqualis, at hypostasi ab eo diversus. Quod etiam egregie demonstrant similia in rerum elucidationem a Justino adducta. Nam

(1) *Μαρτύριον δὲ καὶ ἄλλο ὑμῖν, ὦ φίλοι, ἔφην, ἀπὸ τῶν γραφῶν δώσω, ὅτι ἀρχὴν πρὸ πάντων τῶν κτισμάτων ὁ Θεὸς γεγέννηκε δύναμίν τινα ἐξ ἑαυτοῦ λογικὴν, ἥτις καὶ δόξα κυρίου ὑπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου καλεῖται, ποτὲ δὲ υἱὸς, ποτὲ δὲ σοφία, ποτὲ δὲ ἄγγελος, ποτὲ δὲ Θεὸς, ποτὲ δὲ κύριος καὶ λόγος· ποτὲ δὲ ἀρχιστράτηγον ἑαυτόν λέγει, ἐν ἀνθρώπου μορφῇ φανέντα τῷ τοῦ Ναυῆ Ἰησου. Ἔχει γὰρ πάντα προσονομάζεσθαι, ἐκ τε τοῦ ὑπηρετεῖν τῷ πατρικῷ βουλήματι, καὶ ἐκ τοῦ ἀπὸ τοῦ πατρὸς θελήσει γεγενῆσθαι. Ἀλλ' οὐ τοιοῦτον ὁποῖον καὶ ἐφ' ἡμῶν γενόμενον ὁρῶμεν. Λόγον γὰρ τινὰ προβάλλοντες, λόγον γεννῶμεν οὐ κατὰ ἀποτομὴν, ὡς ἐλαττωθῆναι τὸν ἐν ἡμῖν λόγον προβαλλόμενοι· καὶ ὁποῖον ἐπὶ πυρὸς ὁρῶμεν ἄλλο γινόμενον, οὐκ ἐλαττουμένου ἐκείνου ἐξ οὗ ἡ ἄναψις γέγονεν, ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ μένοντος, καὶ τὸ ἐξ αὐτοῦ ἀναφθὲν, καὶ αὐτὸ ὂν φαίνεται, οὐκ ἐλαττῶσαν ἐκεῖνο ἐξ οὗ ἀνήφθη. Μαρτυρήσει δὲ μοι ὁ λόγος τῆς σοφίας, αὐτὸς ὢν οὗτος ὁ Θεὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων γεννηθεὶς, καὶ λόγος, καὶ σοφία, καὶ δύναμις, καὶ δόξα τοῦ γεννήσαντος ὑπάρχων, καὶ διὰ Σολομῶνος φήσαντος ταῦτα.* N. 61, p. 157 sq.

sicut ignis, qui ab alio igne accenditur, et sermo externus, qui a sermone interno producitur, ejusdem sunt ac æqualis cum auctore suo substantiæ, quamquam tamen inter se distinguuntur; ita Verbum, quamquam persona a Patre diversum, ejusdem tamen est æqualisque cum eo essentiæ sive naturæ.

Idem porro argumentum Justinus alibi repetit, ad refellendum eos qui distinctam Verbi personalitatem ideo negabant, quia alioquin essentiæ divinæ partitio ipsis profitenda videretur. Hæc sunt ejus verba : *Nonnullos etiam esse scio*, ait, *qui hæc occupare velint, ac dicere, Virtutem illam, quæ a* (παρὰ) *Patre universorum Moysi aut Abrahæ aut Jacob apparuit,.... a Patre abscindi aut separari non posse* (ἄτμητον δὲ καὶ ἀχώριστον τοῦ πατρὸς.... ὑπάρχειν), *quemadmodum lux solis in terra abscindi et separari nequit a sole qui est in cœlo, et cum sol occiderit, lux simul occidit : sic cum vult Pater, inquiunt, facit ut virtus ejus prosiliat; rursus cum vult, illam ad seipsum reflectit.... Illam autem Virtutem, quam et Deum sermo propheticus, ut multis similiter demonstratum est, et Angelum vocat, non solo nomine, ut lucem solis, numerari, sed et numero aliud quid esse, etiam supra breviter disserui; cum Virtutem illam ex* (ἀπὸ) *Patre genitam dicerem, virtute et voluntate ipsius, non vero per abscissionem, quasi Patris substantia divideretur, quemadmodum cetera omnia quæ dividuntur et scinduntur, non eadem sunt ac antequam scinderentur; et exempli causa sumsi ignes, quos ex alio igne accendi videmus, non imminuto illo, ex quo multi accendi possunt, sed eodem manente* (1). Ex quibus propria Verbi personalitas ejusque cum

(1) Δύναμις αὕτη ἦν καὶ Θεὸν καλεῖ ὁ προφητικὸς λόγος, διὰ πολλῶν ὡσαύτως ἀποδέδεικται, καὶ ἄγγελον, οὐχ ὡς τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὀνόματι μόνον ἀριθμεῖται, ἀλλὰ καὶ ἀριθμῷ ἕτερον τι ἐστὶ, καὶ ἐν τοῖς προειρημένοις διὰ βραχέων τὸν λόγον ἐξήτασα, εἰπὼν τὴν δύναμιν ταύτην γεγεννῆσθαι ἀπὸ τοῦ πατρὸς, δυνάμει καὶ βουλῇ αὐτοῦ, ἀλλ' οὐ

Patre essentiæ unitas manifeste eruitur. Verbum enim non solo nomine, ut hæretici illi volebant, sed numero seu persona a Patre distinguitur. Verum inde non sequitur, quod Modalistæ illi contendisse videntur, essentiam divinam dispertiri. Nam si Verbum distincta hypostasis est, eamdem tamen cum Patre naturam habet, utpote quod a Patre generatur, non per abscissionem, sed per simplicem essentiæ divinæ communicationem, ut ex verbis patet.

Tertium demum argumentum ex *Genesi* (I. 26) petitur, ubi Moyses, hominis creationem referens, Deum ita loquentem inducit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, etc. Quæ verba Justinus a Deo Patre ad Filium dicta esse diserte docet : *Ac ne allata a me verba immutantes*, inquit, *idem dicatis ac magistri vestri, vel secum dixisse Deum*, Faciamus, *quemadmodum et nos aliquid facturi sæpe dicimus*, Faciamus; *vel elementis, id est, terræ et ceteris similiter, ex quibus hominem factum intelligimus, Deum dixisse*, Faciamus; *ejusdem Moysis dicta rursus afferam ex quibus, dubitatione omni præclusa, eum cum aliquo, qui et numero alter sit et rationalis, colloquutum cognoscere possumus* (πρὸς τινὰ καὶ ἀριθμῷ ὄντα ἕτερον, λογικὸν ὑπάρχοντα, ὡμιληκέναι αὐτὸν ἐπιγνῶναι ἔχομεν). *Sic autem habent hæc verba :* Et dixit Deus : ecce Adam factus est quasi unus ex nobis (Ἰδοὺ Ἀδὰμ γέγονεν ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν), ut sciat bonum et malum. *Dum ergo dicit*, quasi unus ex nobis, *et numerum eorum, qui inter se conjuncti sunt, et saltem* duos *declaravit* (καὶ ἀριθμὸν τῶν ἀλλήλοις συνόντων, καὶ τὸ ἐλάχιστον δύο μεμήνυκεν). *Neque enim quod illa, quæ apud vos dicitur, hæresis decernit, id ego verum esse existimave-*

κατὰ ἀποτομήν, ὡς ἀπομεριζομένης τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, ἁποῖα τὰ ἄλλα πάντα μεριζόμενα, καὶ τεμνόμενα, οὐ τὰ αὐτά ἐστιν ἃ καὶ πρὶν τμηθῆναι καὶ παραδείγματος χάριν παρειλήφειν τὰ ὡς ἀπὸ πυρὸς ἀναπτόμενα, πυρὰ ἕτερα ὁρῶμεν, οὐδὲν ἐλαττουμένου ἐκείνου ἐξ οὗ ἀναφθῆναι πολλὰ δύνανται, ἀλλὰ ταὐτοῦ μένοντος. N. 128, p. 221 sq.

rim, aut ejus magistri id demonstrare possunt, nempe Angelos eum alloquutum, aut Angelorum opus esse corpus humanum. Sed hæc ipsa vere ex Patre prolata progenies (ἀλλὰ τοῦτο τὸ τῷ ὄντι ἀπὸ τοῦ πατρὸς προβληθὲν γέννημα), *ante res omnes creatas una erat cum Patre* (πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων συνῆν τῷ πατρί), *et cum ea Pater colloquebatur* (καὶ τούτῳ ὁ πατὴρ προσομιλεῖ), *quemadmodum Scriptura per Salomonem declaravit*, etc. (1). Itaque Deus, ex Justini sententia, verba illa, *Faciamus*, etc., neque secum locutus est, neque ad elementa, ex quibus homo factus est, ea direxit, neque ad Angelos, ut hæretici nonnulli voluerunt; sed ad ipsum Verbum, sive ad illam Patris progeniem, quæ ante res omnes creatas veluti persona a Patre distincta exstitit (una enim cum Patre erat et Pater cum ea colloquebatur), quæque creatrix reapse fuit.

Quæ hucusque recitavimus Justini loca egregie probant, ni fallor, S. Martyrem Verbi cum Patre ὁμοούσιαν haud dubie tradidisse. Nunc ergo nihil superest, nisi ut paucis occurramus nonnullis difficultatibus, quæ ab adversariis opponuntur.

Primo igitur sic contradicunt : S. Justinus, inquiunt, aperte tradit, Verbum non ab æterno, ut Catholici docent, sed paulo ante mundi originem ex Patre genitum fuisse. Quod probant α) ex *Dial. cum Tryph.* n. 61. p. 284, ubi Justinus dicit : *Initio ante omnia Deus ex seipso genuit quamdam potentiam rationalem, quæ a Spiritu S. vocatur.... Verbum;* et β) ex *Apol.* II, n. 6. p. 44. ubi ait : *Et genitum, cum* (ὅτε) *per illud initio Deus omnia condidit.* Addunt, similia inveniri aliis plurimis in locis quos collegit Otto, lib. c. §. 45. p. 85. in nota 7. Ex quibus concludunt, Justinum neque æternam Verbi generationem, neque per consequens æternam ejus personalitatem agnovisse; admisisse quidem

(1) N. 62. pag. 159.

Verbum quodam modo esse æternum atque ante hanc generationem Patri coëxstitisse (*Apol.* I. n. 6); sed solum (more Platonis sive Philonis) tanquam ipsius mentem seu rationem propria forma hypostatica destitutam, et quæ deinceps per generationem tum persona a Patre distincta tum essentia propria evaserit. Ita Otto lib. c. §. 45 p. 85 et § 58 p. 135; Læmmer l. c. alii.

Ad haec respondemus : 1° Nequaquam pro certo affirmari posse, iis in locis quæ objiciuntur, sermonem fieri de generatione aliqua temporali; sed ad solvendam difficultatem hoc responso non indigemus. Nam 2° dato etiam quod Justinus ibidem de generatione aliqua temporali loquatur, nihil tamen contra orthodoxam ejus de Verbo doctrinam inde erui potest. Constat enim, S. Doctorem alibi æternam Verbi generationem tradidisse. Sic in loco *Apol. II*, quem opponunt, Verbum ante hanc prolationem veluti proprius Dei Filius ab eo exhibetur. Quæ quidem Verbi filiatio, quum ponatur exstitisse ante creationem adeoque ante initium temporis, generationem æternam omnino requirit. Deinde in *Dial. cum Tryphone* n. 113, Verbum a Justino æternus Dei Filius expresse declaratur, ut supra vidimus. Hinc liquet, processionem illam, quam ipse, ut adversarii volunt, Verbo adscribit, veram ac propriam dici non posse generationem; sed esse absque dubio metaphorice interpretandam. Etenim si Verbum tanquam persona vere divina ab æterno exstitit, quod certum est, profecto nemo sanæ mentis dixerit, Verbum paulo ante mundi creationem proprie genitum fuisse. Præterea Justinus haud semel aperte tradit, Deum esse *immutabilem*, veluti *Apol. I.* n. 13, p. 51. ubi Deum ἀτρέπτον declarat, et *Dial.* n. 3. p. 105, ubi Deus ab ipso id dicitur *quod idem est et eodem modo semper se habet*, etc. Atqui cum hac Dei immutabilitate Verbi generatio temporalis, si proprie intelligatur, nullo pacto consistere potest. Nam sive Verbi cum Patre

naturæ singularitatem post generationem profitearis, sive non, ruat utrinque Dei immutabilitas necesse est. Etenim si prius dicas, eo ipso affirmas, ipsum illum Dei λόγον, qui forma hypostatica ab æterno caruit, propriam personalitatem aliquando accepisse, quod mutari proprie dicitur. Si posterius affirmes, non solum Dei immutabilitatem, sed et ipsius simplicitatem destruis, ut patet (1).

Quæ quum ita sint, dicamus oportet generationem illam temporalem metaphorice esse intelligendam. Quid autem Justinus per hanc Verbi prolationem intellexerit, inter eruditos non convenit. Alii dicunt, S. Martyrem intellexisse aliqualem Verbi cum forma quadam creata conjunctionem, qua mediante se conspiciendum præbuerit. Alii contra opinantur, Justinum nihil aliud ea significasse, nisi quod Verbum per creationem in rebus creatis expressum fuerit, et ita aliquo modo palam prodierit.

Sed instant adversarii et dicunt, S. Justinum semel et iterum affirmasse, Verbum sive Filium consilio aut voluntate a Patre esse genitum, ut *Dial.* n. 61, p. 158, n. 127, p. 221, n. 128, p. 222, etc.; proindeque non agnovisse æternam generationem, quippe quæ non voluntaria sed necessaria sit.

Respondet illustrissimus Bossuetius, Meldensis episcopus : « Ne parlez point de Dieu, *ait*, ou avant que de lui appli» quer les termes vulgaires, dépouillez-les auparavant de » toute imperfection. Vous dites que Dieu se repent, qu'il » est en colère; vous lui donnez des bras et des mains : » si vous n'ôtez de ces expressions tout ce qui se ressent » de l'humanité, en sorte qu'il ne vous reste dans les » bras et dans les mains que l'action et la force; dans la » colère qu'une puissante et efficace volonté de punir les » crimes, et ainsi du reste, vous errez. A cet exemple,

(1) Cfr. Bossuet, 6me *avert. aux Protestants* 1re part., art. 1 et 2.

» si vous ôtez du mot de conseil l'incertitude et l'indéter-
» mination, que vous y restera-il, si ce n'est la raison et
» l'intelligence? Vous direz donc que le Fils de Dieu ne
» procède pas de son Père par une effusion aveugle,
» comme le rayon procède du soleil et le fleuve de sa
» source, mais par intelligence; et si vous appelez ici la
» volonté du Père pour exclure la nécessité, cette nécessité
» que vous voulez exclure, est une nécessité aveugle et
» fatale, qui ne convient point à Dieu. Il ne faut point
» souffrir en Dieu une nécessité qui soit hors de lui, qui
» lui soit supérieure, qui le domine; une telle néces-
» sité n'est point en Dieu; il est lui-même sa nécessité;
» il veut sa nécessité comme il veut son être propre; il
» n'y a rien en Dieu, que Dieu ne veuille; ainsi il veut
» produire son Fils en la même manière qu'il veut être :
» c'est ainsi qu'il le produit volontairement; c'est ainsi
» qu'il le produit par conseil » (1). Hactenus Bossuetius.

Estius vero similem quæstionem tractans ita distinctius respondet : « Patrem genuisse Filium voluntate simul et
» necessitate : voluntate quidem non deliberante, sicut
» Eunomius docuit, quasi voluntas gignendi antecesserit
» nativitatem Filii Dei, quem sensum velut impium merito
» rejiciunt Patres; sed voluntate approbante, quam con-
» comitantem vocant. Necessitate etiam genuit non vio-
» lenta neque coactiva (non enim violentia aut coactio
» cadere potest in Deum omnipotentem et beatissimum),
» sed naturali, qua quidem ita est aut fit ut aliter se
» habere nequeat. Sicut enim Pater non potest non esse,
» ita Deus Pater non potest non gignere Filium » (2).

Reponunt adversarii : Justinus, inquiunt, diserte docet, Patrem esse invisibilem et immensum; Filium vero

(1) Lib. c. part. 1re, art. V.
(2) Lib. 1. sent. dist. 6. § 1.

visibilem ac loco inclusum et circumscriptum. Ait enim : *Nemo non omnino mente captus auctorem universorum et parentem relictis omnibus supercœlestibus in parva terræ particula visum dicere audeat* (1). Alibi : *Non existimetis*, inquit, *ipsum ingenitum Deum descendisse aut aliquo ex loco ascendisse. Neque enim ille non enarrabilis Pater et Dominus universorum in aliquem locum venit, neque ambulat, neque dormit, sed in regione sua, quæcumque tandem illa est, manet, acutum cernens et acutum audiens, non oculis quidem nec auribus, sed virtute non enarrabili : ac omnia videt et omnia cognoscit; nec quisquam nostrûm eum latet; nec movetur, nec loco comprehendi potest, imo ne toto quidem mundo, quippe qui erat etiam antequam mundus fieret. Quomodo igitur ille aut quemquam alloquatur, aut cuiquam appareat, aut in angustissima terræ parte conspiciatur, cum ne illius quidem, qui ab eo missus est, gloriam populus in Sina intueri potuerit... Nec Abraham igitur, nec Isaac, nec Jacob, nec quisquam ex hominibus illum omnium omnino, ac ipsius Christi Patrem et Dominum non enarrabilem vidit; sed eum qui secundum ipsius voluntatem et Deus est ipsius Filius, et Angelus ex eo quod ministrat ipsius voluntati; quem et hominem nasci ex Virgine voluit; qui et aliquando ignis fuit in colloquio cum Mose* (N. 127. p. 220). Ergo.

Respondeo, Justinum iis in locis id solum tradere, quod omnes admittunt ac theologi docent, dum dicunt : *Pater non mittitur, sed mittit; Filius vero mittitur;* quod ex sequentibus palam fiet. Nam 1° nihil obstat quominus illa verba sic exponantur. Hac enim explicatione admissa, omnia sibi constant, sensusque plane catholicus eruitur. Et vero *Missio* in divinis, ut docent theologi, duo includit, nempe personæ missæ ab alia processionem æternam, et effectum aliquem temporalem producendum (2). Duplicem porro in divinis

(1) N. 60. p. 157.
(2) S. Thom. part. I. q. 43 a. 2. ad 3.

agnoscunt missionem, unam visibilem, alteram invisibilem. Missio visibilis ea est, quæ in forma quadam sensibili assumpta vel exhibita peragitur; qualis fuit missio Verbi in carne suscepta, vel missio Spiritus S. sub specie columbæ. Missio invisibilis ea dicitur, quæ fit interius ad sanctificationem. Hinc patet, Filium et Spiritum S., non vero Patrem, utpote ingenitum, mitti posse. Itaque Justinus ubi docet, Fœderis antiqui theophanias ideo ad Patrem non esse referendas, quod neque in aliquem locum venit, neque ambulat, nec movetur, nec loco comprehendi potest, aut quempiam alloqui, aut cuipiam apparere, aut in angustissima terræ parte conspici, etc., nihil aliud dicere voluit, nisi quod Pater, ut ingenitus, mitti non potuerit, adeoque nec formam sensibilem induere, cujus ratione dicatur venire, descendere, apparere, in angustissima terræ parte conspici, ambulare, etc. Ubi vero Justinus Dei visiones, quæ Patriarchis obtigerunt, Verbo, excluso Deo Patre, adscribit, et Verbum ita exhibet, quasi natura sua videri locoque includi posset, id unum ibi docet, Verbum utpote ex Patre genitum itaque missioni obeundæ haud impar, missionem visibilem revera sustinuisse formamque ideo sensibilem induisse in qua apparuerit ac propter quam spatio includi dictum fuerit.

2° Non solum hæc verba ita rite explicari possunt, sed hanc interpretationem suadent loca objecta aliaque in quibus missionum divinarum principia fere traduntur. Etenim, licet nullibi apud Justinum expresse declaretur, Patrem mitti non posse, ratio tamen propter quam theologi missiones ei denegant, scilicet innascibilitas, aperte significatur. Quinimo ejusmodi effectus recensentur atque a Patre produci non posse dicuntur qui visibilem prorsus supponunt missionem. Qua de re sufficiat audiisse verba, quæ in altero loco objecto ita leguntur : *Non existimetis, ipsum ingenitum Deum descendisse aut aliquo ex loco ascendisse,* etc. Ad Verbum vero

quod attinet, non solum *Dei Filius* aut *a Patre genitum* sexcenties a Justino vocatur; non solum Patris *Angelus*, Patris *Apostolus*, a Patre *missum* pluries ab ipso declaratur; sed etiam in forma quadam aliena apparuisse Patriarchis ab eodem dicitur. Sic in *Apol.* 1. n. 63. p. 81. legitur : *Verbum autem Dei est ejus Filius, ut diximus. Vocatur etiam Angelus et Apostolus ; ipse enim nuntiat quæcumque cognosci decet, et mittitur ut indicet quæcumque nuntiantur.... Ac prius quidem Moysi et ceteris prophetis in specie ignis et imagine incorporea visus est.* Item in *Dial. cum Tryphone* n. 128, p. 221 asseritur, Christum sive Verbum *prius apparuisse ut virum et angelum et in gloria ignis, velut in rubo et in judicio de Sodomis facto.*

3° Imo vero sensum illum necessario requirunt omnia illa Justini loca quibus Verbo immensitas expresse tribuitur aut quae ejus cum Patre consubstantialitatem evincunt; secus enim Justinus pugnantia tradidisset sibique manifeste contradixisset. Nam quomodo, quæso, docere potuisset, λόγον ratione *propriæ naturæ* loco comprehendi arctisque limitibus circumscribi, quem alibi (*Apol.* 2. n. 10. p. 95, cfr. supra p. 63) immensum prædicasset? Quis concipiat, virum doctrina et ingenio praestantissimum, unam et eamdem numero naturam simplicissimam, in Patre invisibilem et immensam dixisse, in Filio vero visibilem ac loco inclusam? Concludamus igitur oportet, S. Justinum non nisi hoc docere voluisse, scilicet, Patri non competere ut mittatur, id vero competere Filio; atque hunc reapse ad Patriarchas sub Vetere Testamento missum fuisse, inque forma quadam sensibili iisdem apparuisse, et hactenus de eo dictum fuisse, quod *ascenderit*, *descenderit*, *loco comprehensus fuerit*, cetera. Inde vero Filii cum Patre consubstantialitas aut æqualitas nullatenus læditur. Nam sicut Filius a Patre generatur, salva Filii consubstantialitate et aequalitate, ita et mitti potest. Non

minus enim Filio congruit a Patre mitti, quam ex eodem nasci.

Praeterea objiciunt, Justinum haud raro significare, Verbum seu Filium Patri *ministrare* sive Patris administrum esse (velut in *Dial. cum Tryph.* nn. 56, 57, 58, 60, 61, 113, 126, 127, etc.), adeoque sentire Patre minorem esse Filium.

Ad hoc vero respondemus, vocabulum *ministrandi* sive *ministri* non proprie sed improprie a Justino de Verbo dici, quatenus scilicet hoc vocabulo denotatur talis quaedam subordinatio, qualis in homine cernitur inter voluntatem et rationem, quam et subinde appellamus voluntatis administram; nequaquam autem hac voce Justinus significare voluit dependentiam quamdam aut inferioritatem. Et hoc certo constat ex iis quæ hactenus disputata sunt; Verbum enim, ex Justini mente, unam et eamdem numero cum Patre naturam habet, Patrique æquale exsistit. Illa autem notione vox *ministrandi* Verbo recte applicatur; nihil enim aliud designat, nisi Filii sub Patre ratione originis subordinationem, quam Catholici omnes uno ore profitentur. Etenim Pater in Trinitate fons est et origo ex qua non solum natura, sed etiam operationes divinæ aliis personis communicantur. Ex quo fit, ut Filius in peragendis missionibus divinis Patris *minister* dici possit, quia agit per vim et *ἐνέργειαν* a Patre acceptam et Pater per ipsum operatur. Verum per hoc neque Filii subjectio, neque naturæ inæqualitas aut diversitas innuitur, sed SS. Trinitatis ordo indicatur. Nam æque competit Verbo sic Patri ministrare, quam ab ipso mitti, ut jam diximus.

Ulterius objiciunt, Justinum pluries affirmare, Filium sive Verbum non esse rerum creatorem, sed hoc attributum convenire Deo Patri, quem omnium conditorem appellat, ut *Dial. cum Tryph.* nn. 56, 57, 58, 60, etc. Ergo.

Respondeo : ubi Justinus dicit, Filium non esse omnium conditorem, ibi significare intendit, ipsum esse personam distinctam a Patre, quem per appropriationem creatorem nominat. Nimirum Pater, eo quod est Filii et Spiritus S. principium, quamdam præ ipsis veluti dignitatem habet; unde fit, ut attributa et opera divina quæ peculiarem excellentiæ speciem præ se ferunt, e. g. creatio, per appropriationem quamdam illi tribuantur. Sed inde nullatenus consequitur, alias SS. Trinitatis personas non esse creatrices. Et hoc sane patet vel ex eo quod S. Justinus alibi expresse docet, omnia per Filium fuisse condita (*Apol.* II, n. 6. p. 92), et ad Filium directa fuisse verba illa : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Dial.* n. 62. p. 159). Hinc vero constat, ex Justini mente Filium quoque esse creatorem.

Sed, dicat quis, Justinus in loco *Apol.* II ad quem provocas, nequaquam dicit, Filium sive Verbum esse rerum conditorem; e contra creationem unice refert ad Patrem, qui omnia per Verbum (δι' αὐτοῦ παντὰ) ut medium quoddam vel instrumentum condiderit.

Repono, creationem quidem hoc loco specialius Patri quam Filio adscribi; verum falso inde inferri, Verbum ex Justini sententia fuisse a propria rerum productione alienum, nec alio quam instrumenti cujusdam officio ibi functum fuisse. Docet enim ibidem S. Martyr, Verbum, antequam Pater omnia per ipsum conderet, tanquam personam divinam exstitisse, neque minores proinde partes quam Patrem in rerum creatione habuisse. Præterea idipsum probatur ex aliis Justini locis, in quibus Verbum appellat virtutem sive potentiam Patris (δύναμις τοῦ Πατρὸς), ut *Apol.* I. n. 32; *Apol. II.* n. 10. Nam si Verbum revera Patris potentia exsistit, profecto una eademque ac inseparabili actione simul cum Patre molitum est præclarum creationis opificium, quum hoc sit potentiæ

divinæ effectus. Accedit quod Catholici, Christi et Apostolorum oraculis innixi, necnon testatissima traditionis voce confirmati, cum Justino una voce proclamant : *Patrem omnia per Verbum fecisse.* Quod sic intelligendumest : scilicet creatio considerari potest ratione habita aut naturæ divinæ aut divinarum personarum. Si divinæ naturæ respectu rerum productio consideratur hæc æque Verbo ac Patri tribuenda est, siquidem natura divina utrique communis est. Sin vero relate ad personas divinas respiciatur, speciali ratione Patri adscribenda est. Quum enim Pater in SS. Trinitate aliarum personarum sit principium, a quo ut natura divina ita etiam operationes divinæ sive *ad intra* sive *ad extra* ipsis communicantur; quumque idcirco Filius et Spiritus S. nihil agant nisi per potentiam et actionem sibi a Patre communicatam; hinc fit, ut creatio ad Patrem tanquam ad causam ex qua primum oritur, ad Filium vero tanquam ad causam per quam immediate efficitur, sit referenda : ut adeo Justinus cum Apostolo (I ad *Cor.* VIII. 6) dixerit : *unum esse Deum Patrem a quo omnia, et unum Dominum J. C. per quem omnia exstant.* Atque hæc de S. Justino dicta suffecerint.

§ 2.

TATIANUS.

Post Justinum memorandus est ejus discipulus Tatianus, homo ethnicus, e philosophia ad fidem conversus, qui, licet postea ad hæresim deflexerit, sectæque *Encratitarum* auctor exstiterit, in sua tamen *Oratione contra Græcos,* quam adhuc orthodoxus conscripsit (1), haud spernenda de Verbi

(1) Maran, præf. part. III. cap. XII. p. CV.

cum Patre consubstantialitate testimonia reliquit. Eadem enim fere tradidit quae Justinus, iisdem pene sententiis eadem proposuit iisdemque comparationibus elucidavit. Ex quo factum est, ut Caius, presbyter antiquissimus, Tatianum atque Justinum ex æquo inter nobilissimos Christi divinitatis propugnatores recensuerit. Non defuere tamen, qui hoc negarent, et Tatiano aut *Platonis* (1), aut *Cabbalistarum* (2), aut *Philonis* (3) sententias de Verbo tribuerent. Contra quos orthodoxam ipsius doctrinam enodare ac enucleare aggredimur.

Et primo quidem Tatianus Dei nomen haud semel Christo tribuit, veluti n. 13, p. 255 ed. Maran, ubi Spiritum Sanctum nominat *ministrum Dei passi* (τοῦ πεπονθότος Θεοῦ), id est, Christi, et n. 21. p. 262, ubi Christum appellat *Deum* (Θεὸν) *sub hominis forma natum.* Sed *vox Deus*, ut monet Athanasius (4), *nihil aliud significat, quam substantiam ejus qui est.* Ex quo consequitur, Christum sive Verbum incarnatum Tatiano fuisse Deum natura et essentia. Quod præterea ex eo confirmatur, quòd Tatianus pluribus in locis Dei unitatem aperte professus est (5).

Alibi hæc scribit Tatianus : *Deus erat in principio : principium autem Verbi potentiam esse accepimus. Nimirum*

(1) Petavius, *de Trin.* lib. 1. cap. 3. § 1 et § 5; Stieren, lib. c. pag. 32.

(2) Wegscheider, lib. c. § 88, ubi Tatianum ita exhibet, ac si *Cabbalistarum* de emanatione quadam virium divinarum sententias secutus statuisset, λόγον non esse nisi *aeonem* sive vim quamdam, quæ e divina natura promanasset, suamque sententiam in *Oratione contra Græcos*, n. 6 expressisset, docendo, λόγον *tamquam Dei Filium, non creatum, sed e Deo progressum.*

(3) Otto et Læmmer, libb. et ll. cc.

(4) *De Decr. Syn. Nic.* n. 22. Opp. t. 1. part. 1. p. 228. ed. Maur.

(5) N. 4, p. 246, N. 5, p. c., N. 7, p. 249, N. 19, p. 261.

universorum Dominus ipse exsistens universi substantia seu sustentatio, quatenus quidem mundus nondum erat creatus, solus erat; quatenus autem ipse potentia omnis et eorum quæ videntur et non videntur hypostasis sive sustentatio erat, cum eo omnia erant; cum ipso enim per rationalem potentiam ipsum etiam Verbum, quod in eo erat, substitit. Voluntate autem simplicitatis ejus prosilit Verbum; et Verbum non in vacuum progrediens, fit opus primogenitum Patris. Hoc scimus esse mundi principium. Natum est autem per communicationem, non per abscissionem. Nam quod abscissum est, a primo separatur. Quod vero per communicationem est, οἰκονομίας τὴν αἵρεσιν adeptum, id eum non imminuit ex quo desumtum est. Quemadmodum enim ex una face multi ignes accenduntur, nec tamen primæ facis, ob plures accensas faces, lux imminuitur : sic Verbum ex Patris potentia prodiens, genitorem Verbi expertem (ἄλογον) non fecit. Nam et ego loquor et vos auditis; nec propter transmissionem sermonis ego qui alloquor sermone vacuus fio..... Verbum in principio genitum, vicissim mundum nostrum genuit, cum ipsum sibi materiam produxisset..... Non enim caret initio materia sicut Deus, nec Deo, ut principii expers, parem habet potestatem; verum creata est nec ab alio facta, sed a solo universorum opifice producta (1). Quibus in verbis

(1) Θεὸς ἦν ἐν ἀρχῇ, τὴν δὲ ἀρχὴν λόγου δύναμιν παρειλήφαμεν. Ὁ γὰρ δεσπότης τῶν ὅλων αὐτὸς ὑπάρχων τοῦ παντὸς ἡ ὑπόστασις, κατὰ μὲν τὴν μηδέπω γεγενημένην ποιήσιν μόνος ἦν. Καθὸ δὲ πᾶσα δύναμις, ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων αὐτὸς ὑπόστασις ἦν, σὺν αὐτῷ τὰ πάντα (σὺν αὐτῷ γὰρ) διὰ λογικῆς δυνάμεως, αὐτὸς καὶ ὁ λόγος ὃς ἦν ἐν αὐτῷ ὑπέστησε. Θελήματι δὲ τῆς ἁπλότητος αὐτοῦ προπηδᾷ λόγος· ὁ δὲ λόγος οὐ κατὰ κενοῦ χωρήσας, ἔργον πρωτότοκον τοῦ πατρὸς γίνεται. Τοῦτον ἴσμεν τοῦ κόσμου τὴν ἀρχήν. Γέγονε δὲ κατὰ μερισμόν, οὐ κατὰ ἀποκοπήν. Τὸ γὰρ ἀποτμηθὲν τοῦ πρώτου κεχώρισται· τὸ δὲ μερισθὲν οἰκονομίας τὴν αἵρεσιν προσλαβὸν οὐκ ἐνδεᾶ τὸν ὅθεν εἴληπται πεποίηκεν. Ὥσπερ γὰρ ἀπὸ μιᾶς δαδὸς ἀνάπτεται

plura sunt, quae explanatione indigent, ut sententia Tatiani rite intelligatur, ejusque de Verbo fides a falsis accusationibus vindicetur. Auctor ergo in antegressis dixerat, Christianos non creaturas adorare, sed Deum unum, qui omnia condiderit. Hic vero ostendere intendit quomodo mundus a Deo per Verbum creatus fuerit. Ac primum pro certo ponit, Deum solum ab aeterno exstitisse omniaque in eo fuisse non quidem actu et in seipsis, sed *intelligibiliter* et *potentialiter*, ut dicunt theologi; hoc enim est quod sibi vult, ubi dicit : *quatenus quidem mundus nondum erat creatus, solus erat, quatenus autem ipse potentia omnis et eorum quae videntur et non videntur hypostasis sive sustentatio erat, cum eo erant omnia.* Quod uberius explicat illico subjiciens : *cum ipso enim per rationalem potentiam ipsum etiam Verbum, quod in eo erat, substitit.* Ubi Verbum dicitur ab aeterno in Deo fuisse Patri coëxistens *per rationalem potentiam*, διὰ λογικῆς δυνάμεως; quæ locutio indicat causam ipsam qua Verbum in Deo substitit, sive intellectum divinum quo æterna Verbi generatio peracta est; quod Justinus jam docuerat affirmando, Verbum ex Patre esse genitum δύναμει ipsius (*Dial.* n° 128, p. 222).

Postea vero Tatianus docet, Verbum illud, quod in Deo tamquam hypostasis distincta erat, in tempore ad extra sive ad res creandas voluntate divina prodiisse, eo

μὲν πυρὰ πολλά, τῆς δὲ πρώτης δαδὸς διὰ τὴν ἔξαψιν τῶν πολλῶν δαδῶν οὐκ ἐλαττοῦται τὸ φῶς· οὕτω καὶ ὁ λόγος προελθὼν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς δυνάμεως, οὐκ ἄλογον πεποίηκε τὸν γεγεννηκότα. Καὶ γὰρ αὐτὸς ἐγὼ λαλῶ, καὶ ὑμεῖς ἀκούετε, καὶ οὐ δήπου διὰ τῆς μεταβάσεως τοῦ λόγου κενὸς ὁ προσομιλῶν λόγου γίνομαι... Ὁ λόγος ἐν ἀρχῇ γεννηθεὶς, ἀντεγέννησε τὴν καθ' ἡμᾶς ποίησιν, αὐτὸς ἑαυτῷ τὴν ὕλην δημιουργήσας... Οὔτε γὰρ ἄναρχος ἡ ὕλη καθάπερ ὁ Θεὸς, οὐδὲ διὰ τὸ ἄναρχον καὶ αὐτὴ ἰσοδύναμος τῷ Θεῷ· γεννητὴ δὲ καὶ οὐκ ὑπὸ τοῦ ἄλλου γεγονυῖα, μόνου δὲ ὑπὸ τοῦ πάντων δημιουργοῦ προβεβλημένη. N. 5, p. 247 ed. Maran.

nempe sensu, quod Dei voluntas ab æterno mundi creationem per Verbum decreverat sicque progressionem illam voluerat. Deinde ne quis forte sentiat, λόγον illum prolatum non esse personam realem, sed sonum inanem, statim adjicit, Verbum esse progressum non in vacuum (κατὰ κενοῦ), hoc est, non ut meram vocem quæ evanescit, sed ut hypostasim vere exsistentem. Apposite Tertullianus *adv. Prax.* c. VII : *Quid est enim, dices, sermo, nisi vox et sonus oris, et (sicut grammatici tradunt) aer offensus, intelligibilis auditu; ceterum vacuum nescio quid et inane et incorporale? At ego nihil dico de Deo inane et vacuum prodire potuisse; ut non de inani et vacuo prolatum, nec carere substantia quod de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit, fecit enim et ipse quæ facta sunt per illum. Quale est ut nihil sit ipse sine quo nihil factum est? ut inanis solida et vacuus plena et incorporalis corporalia sit operatus?* Verbum autem ut persona ad extra prodiens est ex mente Tatiani opus primogenitum Patris. Quasi diceret, Deum, cum mundum condere voluit, hoc primum egisse, ut Verbum, per quod omnia fierent, ad extra procederet. Quæ quidem externa Verbi progressio mundi principium sive initium fuit. Itaque Verbum, juxta Tatianum, non idcirco mundi principium est, quod in rerum origine primum proprie genitum sit, sed quia tunc tantum prima vice ad extra prodiit. Unde liquet, generationem de qua Tatianus hic loquitur, esse figuratam, adversarios vero errare, dum eam proprie accipiunt.

Pergens porro Tatianus declarat, Verbum *genitum esse* non *per abscissionem*, secus enim Verbum a Patre separaretur, sed per participationem sive essentiæ divinæ communicationem, ut adeo Pater nihil omnino minuatur. Quod egregie monstrant exempla facis ex alia face accensæ, et sermonis a sermocinante prolati. Nam sicut fax, ex qua aliæ faces accenduntur, vel sermocinans, a quo sermo produ-

citur, nequaquam idcirco imminuitur; ita nec Pater, Verbo progrediente, imminutus est neque ἄλογος factus. Ex quibus colligitur tum Patris et Filii seu Verbi consubstantialitas et æqualitas, nam faces accendens et accensa ejusdem naturæ sunt et æquales; tum eorum substantiæ numerica unitas, quum Tatianus Verbum a Patre non separet. Errant itaque ii, qui cum Læmmer dicunt, Tatianum Verbo tribuisse naturam a Patre numero distinctam; item ii, qui dicunt, Tatianum generationem Verbi temporalem proprie sumsisse ac propterea æternam ipsius filiationem et personalitatem negasse. Etenim si natura in Patre et Filio una et singularis est, prolatio illa temporalis non potest esse vera Verbi generatio, quin mutatio essentiæ divinæ admittatur, ut jam ad Justinum observavimus. Hæc autem juxta Tatianum admitti nequit; nam pluribus in locis (n. 4, n. 15, n. 17) Deum perfectum adeoque immutabilem agnoscit.

Denique Tatianus ostendit, Verbum esse rerum creatorem. Materia enim, ut ipse dicit, non est sine principio (ἄναρχὸς), sicut Deus (1), sed ab opifice (δημιουργὸς) universorum, hoc est, a Verbo producta (προβεβλημένη); ac Verbum cum sibi materiam produxisset, mundum nostrum effecit. Jam autem creatio soli Deo competit. Et revera Tatianus alibi materiæ conditorem expresse Deum (ὁ Θεὸς), Articulo huic voci præfixo, appellat : *Universam videre est*, ait, *mundi constructionem* (κατασκευὴν), *ac universum opus* (ποίησιν) *ex materia perfectum, ipsam autem materiam a Deo creatam* (ὑπὸ τοῦ Θεοῦ προβεβλημένην) (2). Ex quibus liquido patet, Verbum esse Tatiano

(1) Cfr. etiam n. 4, ubi legitur : *Deus noster non esse cœpit, cum solus sine principio, ipse omnium sit principium.* P. 246.

(2) N. 12. p. 255. Cui adde n. 7 ubi Verbum speciatim hominum et angelorum creator dicitur.

Deum verum, materiæque, ex qua creaturæ constant, auctorem.

Sed locutio λόγου δύναμις, aiunt, non est *Verbi potentia* sive Verbum, ut contendis, sed *vis rationis* ac potentia secundum quam Deus omnia vel ipsum Verbum producere potest. Idem enim significat ac illud λογική δύναμις, quo Verbi existentia in Deo non actu, sed potentia designatur. « Igitur, » *inquit Petavius*, Tatianus videtur existimasse Verbum a » Patre productum ex æterno, non actu et in seipso, sed » tantummodo in λογικῇ δυνάμει ac potestate fuisse : quem- » admodum in eadem erant et creata deinceps omnia. » Porro quatenus in illa δυνάμει continebantur tam Verbum » quam quæ a Verbo deinde procreata sunt, cum summo » ac principe Deo simul exstitisse. Non igitur συναίδιον, » coæternum Patri putavit Filium ac Verbum, sed crea- » tum, ac voluntate, sic tanquam ab opifice productum. » Unde ἔργον appellatur » (1).

Ad hæc respondemus, 1° locutionem λόγου δύναμιν Verbum ipsum certo designare. Quod constat imprimis ex aliis Tatiani locis, in quibus hæc dictio de Verbo, etiam post creationem, usurpatur. Exemplo sit ille locus, qui n. 7. ita legitur : Ἡ δὲ τοῦ λόγου δύναμις ἔχουσα παρ' ἑαυτῇ προγνωστικὸν τὸ μέλλον ἀποβαίνειν, οὐ καθ' εἱμαρμένην, τῇ δὲ τῶν αἱρουμένων αὐτεξουσίων γνώμῃ, τῶν μελλόντων προύλεγε τὰς ἀποβάσεις· καὶ τῆς μὲν πονηρίας κωλυτὴς ἐγίνετο δι' ἀπαγορεύσεων, τῶν δὲ μενόντων ἀγαθῶν ἐγκωμιαστής. Καὶ ἐπειδή τινι φρονιμωτέρῳ παρὰ τοὺς λοιποὺς ὄντι διὰ τὸ πρωτόγονον συνεξηκολούθησαν, καὶ Θεὸν ἀνέδειξαν οἱ ἄνθρωποι καὶ τὸν ἐπανιστάμενον τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ, τότε ἡ τοῦ λόγου δύναμις, τότε ἄρξαντα τῆς ἀπονοίας, καὶ τοὺς συνακολουθήσαντας τούτῳ, τῆς σὺν αὐτῷ διαίτης παρητήσατο. h. e. « Verbi autem potentia, cum in » se prævideret quid esset, non illud quidem fato, sed

(1) *De Trin.* lib. 1. cap. III. n. V.

» libera eligentium voluntate, eventurum; futurarum rerum » eventus prædicebat, ac nequitiam interdictis prohibebat, » eos autem laudabat, qui boni permanerent. Postquam » autem homines unum aliquem præter ceteros, propterea » quòd primogenitus erat, callidiorem assectati sunt, ac » eum etsi legi Dei obluctabatur, pro Deo habuere, tum » Verbi potentia et incœptorem profligatæ temeritatis et » ejus sectatores a sua consuetudine exclusit » (1). Quo in loco *Verbi potentia* veluti persona eaque divina exhibetur, quum res quæ pendent a libera hominum voluntate præviderit, easque ante eventus prædixerit. Hic insuper adde, quod Justinus, Tatiani magister, Verbum ipsum voce δύναμις haud infrequenter significavit (2). Ex quo pronum est colligere, Tatianum, qui fere in omnibus præceptorem sequitur, hac in re etiam ipsius vestigia pressisse.

2° Petavii de dictione λογικῆς δυνάμεως sententia (3) hy-

(1) P. 249. Cfr. n. 18, p. 259.

(2) Ex g. N. 61, p. c. N. 128. p. c.

(3) De ea G. Bullus hæc monet : *Si Tatiano* διὰ λογικῆς δυνάμεως *exsistere sit non actu, sed potestate exsistere, dicendum est, Tatianum existimasse, ipsum quoque Deum Patrem ex æterno potestate tantum, non actu exstitisse : siquidem de Deo Patre et ejus* τῷ λόγῳ *pariter dicit, ipsos ex æterno* διὰ λογικῆς δυνάμεως *substitisse* (*). Nimirum Bullus hoc loco ad refellendum Petavium contendit, verba hæc : σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς δυνάμεως, αὐτὸς καὶ ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε, ita vertenda esse, ut valeant : *nam cum ipso (Deo Patre) per rationalem potentiam tum ipse (Pater) tum* λόγος, *qui in eo erat, substitit.* Sed quam falso illud voluerit, inde patet, quòd interpretatio illa absurdum istud Tatiano tribuat : *ante mundum conditum cum Deo Patre fuisse Deum Patrem et Verbum.* Hinc P. Maran, doctissimus Ord. S. Bened. Monachus, aliam viam ad confutandum Petavium iniit. Nempe verba σὺν αὐτῷ γὰρ e medio textu sustulit, atque porro hunc locum ita reddidit : *omnia cum eo per rationalem potentiam sustentabat ipsum etiam Verbum, quod erat in eo.* Sed neque hujus sententia videtur admittenda, eo præsertim quòd argumentis haud satis firmis illud σὺν αὐτῷ γὰρ e textu expungit. Cfr. Maran ad h. l.

(*) Lib. c. sect. 3. c. 6. p. 211.

pothesi mere arbitraria nititur. Ponit enim διὰ λογικῆς δυνάμεως idem valere ac ἐν δυνάμει, in potentia, et significare res, quæ nondum actu existunt, sed ex quibusdam causis existere possunt; at minime hoc probat. Deinde hæc opinio contra mentem Tatiani præsumptam agit. Nam Tatianus, cum hæc scriberet, catholicus erat, proindeque verba ejus, quantum fieri potest, sensu catholico interpretanda sunt. Jam autem illa catholice exponi posse et debere ex dictis constat. Præterea hæc sententia orationem Tatiani tautologicam reddere videtur. Nam si locutio λογικῆς δυνάμεως res designat quæ in potentia tantum exsistunt, nec alia idcirco nisi possibilis existentia Verbo ante creationem tribuitur, sententia haec, *cum eo enim per rationalem potentiam ipsum etiam Verbum, quod id eo erat, substitit*, quodammodo abundare videtur. Et vero si Verbum inter creaturas recenseatur, possibilis ejusdem existentia, quæ creationem antecessit, jam in hac sententia generali, *cum ipso omnia erant* (potentia), includitur, nec opus videtur, illam speciatim memorare. Ad hæc, si dictio λογικῆς δυνάμεως ad mentem Petavii intelligatur, verba Tatiani hunc absurdum effundunt sensum : *cum Deo Patre non actu sed potentia ipsum etiam Verbum quod in Deo Patre erat* (*non actu, sed potentia*) *substitit.* Denique Petavii sententia doctrinam Tatiano tribuit, quæ nulla ratione consistere potest cum absoluta essentiæ in Patre et Filio singularitate, quam tamen Tatianus indubie tradit. Contra si dicamus, Tatianum locutione λογικῆς δυνάμεως causam æternæ Verbi cum Patre subsistentiæ indicasse, id non solum ejus doctrinæ in universum et contextæ hujus loci orationi speciatim convenit, sed etiam ex alio ipsius loco confirmatur : *Verbum enim illud cœleste*, inquit, *Spiritus a* (ἀπὸ) *Patre genitus, et Verbum ex rationali potentia* (ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως) *ad imitationem Patris a quo genitum est, imaginem immortalitatis hominem fe-*

cit (1). In quibus dictio λογικῆς δυνάμεως manifeste designat causam qua Verbum ab æterno subsistit; quæ causa, saltem proxima, alia non est nisi intelligentia divina.

Hæc autem cum ita se habeant, liquido apparet, ut opinor, falsa esse consectaria, quæ Petavius inde deducit (cfr. supra p. 90), firmaque omnino ac inconcussa manere quæ de Tatiani logologia statuimus; ut adeo nihil dubii supersit, quin antiquus ille auctor Verbi consubstantialitatem tradiderit. Nunc ad Athenagoram progredimur.

§ 3.

ATHENAGORAS.

Eodem quo Tatianus tempore vixit Athenagoras, philosophus gentilis, sed Christi religionem deinceps professus, qui in præclara illa *Legatione pro Christianis*, quam imperatoribus M. Aurelio Antonino et L. Aurelio Commodo, ejus Filio circa a. 177 obtulit, veræ Verbi cum Patre consubstantialitatis testis locupletissimus pariter exstitit; id quod post Petavium (2) denuo immerito inficiati sunt Wegscheider (3), Vacherot (4), Læmmer (5), aliique.

Ac primò quidem insignis est Athenagoræ locus, qui Legat. n. 18 legitur, ubi regnum cœleste cum regno temporali imperatorum, quos alloquitur, comparans, sic scribit : *Quemadmodum enim vobis patri et filio parent omnia, qui cœlitus regnum accepistis (regis enim anima in manu Dei*

(1) N. 7. p. 249.
(2) *De Trin.* lib. 1. cap. III. n. IV.
(3) Lib. c. § 83 et § 84.
(4) Lib. c. t. I. p. 232.
(5) Lib. c. et l. c.

inquit propheticus spiritus) (1), *ita uni Deo ejusque Verbo, quem Filium non separabilem esse intelligimus, omnia sunt subjecta* (οὕτως ἑνὶ Θεῷ καὶ τῷ παρ' αὐτοῦ λόγῳ υἱῷ νοουμένῳ ἀμερίστῳ, πάντα ὑποτέτακται) (2). Quibus verbis aperte traditur Patris et Filii distincta personalitas, numerica illorum essentiæ unitas, naturæ, potentiæ, dignitatisque omnimoda æqualitas. Hinc apparet, quid dicendum sit de Læmmero qui hæc omnia, si demas personalitatem temporalem, ab Athenagoræ sententia abesse judicavit (3).

Neque minus perspicua sunt ejusdem Athenagoræ verba, quibus Christianorum de Trinitate fidem alibi in eodem libro exponit : *Deum dicimus*, inquit, *et Filium Verbum ipsius, et Spiritum sanctum* (Θεὸν φαμὲν, καὶ υἱὸν τὸν λόγον αὐτοῦ, καὶ πνεῦμα ἅγιον) *unitos secundum virtutem* (ἑνούμενα μὲν κατὰ δύναμιν), *Patrem, Filium, Spiritum sanctum* (τὸν πατέρα, τὸν υἱὸν, τὸ πνεῦμα), *quia mens, Verbum, et sapientia Filius Patris* (ὅτι νοῦς, λόγος, σοφία υἱὸς τοῦ πατρὸς), *effluvium autem, ut lumen ab igne, Spiritus* (καὶ ἀπορρροια, ὡς φῶς ἀπὸ πυρὸς, τὸ πνεῦμα) (4). Ex quibus manifeste patet, eam Athenagoræ de Trinitate sententiam fuisse, ut tres personas distinctas, sed κατὰ δύναμιν unitas agnosceret. Hac autem voce δύναμις essentiam sive substantiam divinam Athenagoras certo significavit. Nam n. 10. p. 286 dicit : *Unum ingenitum et æternum tenemus Deum... qui Spiritu* (πνεύματι) *ac potentia* (δύναμει) *non enarrabili circumdatus est;* et n. 16. p. 291 addit : *omnia enim ipse sibi Deus est, lumen inacces-*

(1) Prov. 21. 1.

(2) P. 293. ed. Maran.

(3) Lib. c. et l. c.

(4) N. 24. pag. 302. Quam immerito hoc loco usus sit Wegscheider (lib. c. § 84), ut insinuaret virtutes divinas esse ab Athenagora Christo ideo tributas, quòd pia erga summum magistrum reverentia ductus θειον quiddam sive quamdam quasi ἀπορροιαν numinis supremi cum eo conjunctam fuisse putarit, ex iis quæ de Athenagoræ λογολογια hic disputabimus, manifestum erit.

sum, *mundus perfectus*, *Spiritus* (πνεῦμα), *potentia* (δύναμις), *ratio*. Quibus in locis vocabulum δύναμις, sicut et vocabulum πνεῦμα, ad designandam Dei substantiam sive vim illam substantialem, quæ Deus ipse est, perspicue adhibetur. Itaque Athenagoras, ut jam supra ostensum est, numericam essentiæ unitatem in tribus personis SS. Trinitatis agnovit. Quod etiam inde conficitur, quòd ex sententia Athenagoræ Filius sit Patris mens, verbum, sapientia; et Spiritus sanctus a Patre profluxerit, tamquam lumen ab igne. Jam autem si Pater, Filius et Spiritus S. eamdem numero naturam habent, æterni sint necesse est.

Sed præ ceteris recitari meretur nobilissimus ille locus qui n. 10 ejusdem libri reperitur. Ibi enim Athenagoras, postquam clare ostendisset, Deum nonnisi unum exsistere, et idcirco Christianos non esse atheos, quando Deum illum adorant, statim præclara, quæ sequuntur, verba protulit, quibus suam de Trinitatis mysterio ac speciatim de Verbi ὁμοούσια fidem egregie prodit : « Satis » igitur, *inquit*, demonstratum a me est, atheos nos non » esse, qui unum ingenitum et æternum tenemus Deum, » invisibilem et impassibilem, qui nec capi aut compre- » hendi potest, qui sola mente et ratione cognoscitur, ac » luce et pulchritudine, et Spiritu ac potentia non enarrabili » circumdatus est, a quo denique omnia per (διὰ) ipsius » Verbum et creata et ornata sunt et conservantur. » Agnoscimus enim et Dei Filium (νοοῦμεν γὰρ καὶ υἱὸν » τοῦ Θεοῦ). Nec quisquam ridiculum existimet suum Deo » esse Filium. Neque enim ut poetæ fabulantur, qui ni- » hilo meliores hominibus inducunt deos, ita de Deo et » Patre aut de Filio sentimus. Sed est Filius Dei Verbum » Patris in idea et operatione (ἀλλ' ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, » λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ) (1); ab eo enim et in

(1) Ex his vocibus ἰδέας καὶ ἐνεργείας argumentum ducit WEGSCHEIDER

» eo facta omnia (πρὸς αὐτοῦ γάρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο), » cum Pater et Filius unum sint (ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ » τοῦ υἱοῦ); cum autem Pater sit in Filio et Filius in Patre, » unitate et virtute Spiritus (ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ, καὶ » πατρὸς ἐν υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος), mens et Ver- » bum Patris est Filius (νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς τοῦ » Θεοῦ). Quod si vobis pro summa vestra intelligentia in- » quirere subeat, quid sibi velit Filius; dicam breviter » primam esse Patris progeniem, non quod factus sit (ab » æterno enim Deus, qui est æterna mens, habebat in » seipso Verbum, utpote ab æterno rationalis), sed quod » prodierit, ut omnium materialium rerum, quæ instar » informis naturæ et inertis terræ, partibus crassioribus » commixtis cum levioribus, jacebant, idea et actus foret » (ἰδέα καὶ ἐνεργεία). Hæc sanctus ipse Spiritus confirmat. » *Dominus enim*, inquit (*Prov.* 8. 22), *condidit me initium* » *viarum ejus ad opera ejus.* Atque ipsum illum Spiritum » sanctum, qui in prophetis operatur, effluentiam Dei esse » dicimus, emanantem et redeuntem veluti radium solis. » Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, » qui Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum sanctum » asserunt, ac eorum et in unione potentiam et in ordine » distinctionem demonstrant? » (1). Quæ verba si quis at-

(lib. c. § 83) ad probandum, vocabulum λόγος *vim sive voluntatem Dei sapienter operantem modo quodam symbolico describere*, nempe sub specie verbi. Sed errasse eum, ex dicendis patebit.

(1) Εἰ δὲ δι' ὑπερβολὴν συνέσεως σκοπεῖν ὑμῖν ἔπεισιν, ὁ παῖς τί βούλεται, ἐρῶ διὰ βραχέων· πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ πατρὶ, οὐχ ὡς γενόμενον (ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ Θεὸς, νοῦς ἀΐδιος ὤν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὤν) ἀλλ' ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων ἀποίου φύσεως καὶ γῆς ὀχείας ὑποκειμένων δίκην, μεμιγμένων τῶν παχυμερεστέρων πρὸς τὰ κουφότερα ἐπ' αὐτοῖς, ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι προελθών. Συνάδει δὲ τῷ λόγῳ καὶ τὸ προφητικὸν πνεῦμα· κύριος γὰρ, φησὶν, ἔκτισέ με, ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ. Καὶ

tente legerit verumque illorum sensum rite indagaverit, is omnino non poterit non agnoscere ac profiteri, Athenagoram de Verbi cum Patre consubstantialitate recte sensisse. Quod ut pateat, contextæ hujus loci orationis seriem hic indicabimus. Ergo Athenagoras Christianorum de Trinitate fidem, ut jam monuimus, exponit. Ac primum de Patre loquitur, quem præclare describit. Deinde ad Filium transit, quem considerat tanquam eum, per quem Pater omnia creavit, omniaque conservat. Ac ne quis ridiculum existimet suum Deo esse Filium, quasi Christiani poetarum de diis commenta admitterent, statim declarat, Filii a Patre generationem non ita esse intelligendam; nam Dei Filium esse Verbum Patris in idea et operatione; proindeque non materiali sed spirituali modo ex Deo genitum esse, quemadmodum verbum humanum ex mente humana spiritaliter nascitur; Dei autem Filium Patris Verbum in idea et operatione ideo dici, quia *omnia ab ipso et in ipso creata sunt;* nimirum Dei Filium Verbum Patris in idea esse, quatenus mundus intelligibilis (κόσμος νοητὸς) sive mundi archetypus, aut rerum exemplar, juxta quod omnia facta sunt, in ipso ab æterno exsistit; Verbum enim, utpote ex intellectu divino ab æterno genitum, omnes Patris ideas in se possidere, omnes rerum rationes in se habere, juxta quas Pater omnia operatur; Dei vero Filium Patris Verbum in operatione esse, quia ab ipso et per ipsum omnia condita sunt. Porro Athenagoras docet, omnia a Verbo et in Verbo idcirco fuisse facta, quòd *Pater et Filius*

τοι καὶ αὐτὸ τὸ ἐνεργοῦν τοῖς ἐκφωνοῦσι προφητικῶς ἅγιον πνεῦμα, ἀπόῤῥοιαν εἶναι φαμὲν τοῦ Θεοῦ, ἀποῤῥέον καὶ ἐπαναφερόμενον, ὡς ἀκτῖνα ἡλίου. Τίς οὖν οὐκ ἂν ἀπορήσαι, λέγοντας Θεὸν πατέρα καὶ υἱὸν Θεὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους; P. 286 sq.

unum sunt. Quam Patris et Filii unitatem confestim ita exponit, ut manifestum sit ipsum de unitate numerica esse locutum. Dicit enim Patrem esse in Filio et Filium in Patre *unitate et virtute spiritûs* (πνεῦμα), id est, essentiæ sive substantiæ, ut supra ostendimus. Imo ex hoc loco egregie colligitur Patris et Filii absoluta æqualitas, sive eorum naturam respicias, sive personam. Quod ad naturam attinet, res per se patet, quum hanc unam et eamdem habeant; quod vero spectat hypostasim, æqualitas inde probatur quòd Pater æque dicitur esse in Filio ac Filius in Patre. Hinc falsitatis arguitur E. Vacherot, ubi adversus P. Gratry contendit, Verbi quidem divinitatem non vero substantialem Patris et Filii æqualitatem hoc loco doceri (1).

Postea Athenagoras apertius ostendit, quid Filii nomine intelligatur, ac affirmat, eum esse primam Patris progeniem (γέννημα). Cum vero quis inde concludere potuisset, Filium esse creaturam, illum e vestigio secernit ab iis quæ facta sunt (οὐχ ὡς γενόμενον). Cujus rei hanc rationem reddit, quod Deus, æterna mens, λόγον ab æterno in seipso dubio procul habuerit, utpote ab æterno λογικὸς sive rationalis. Unde æterna Verbi exsistentia manifeste evincitur. Deinceps Athenagoras significat quo sensu Filius sit prima Patris progenies; scilicet quia ad extra prodiit, *ut omnium materialium rerum, quæ instar informis naturæ et inertis terræ, jacebant, idea et ἐνεργεία foret.* Quod ex Proverb. 8. 22. probat. Denique Athenagoras ad Spiritum S. venit, quem veluti Prophetarum afflatorem exhibet; ac finem orationi suæ imponens, invehitur in eos qui atheos ideo vocare audent Christianos, quia *Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum S. asserunt, eorumque et in unione potentiam et in ordine distinctionem.*

(1) *Réponse à l'Univers* (apud Gratry, lib. c. p. 284) : *C'est fort bien pour la divinité du Fils*, ait. *Encore n'est-il pas question de l'égalité substantielle des deux personnes.*

Itaque, ut resumamus ea quæ hactenus dicta sunt, Athenagoras hoc loco aperte docet, *Patrem et Filium unum esse*, non solâ unitate consensûs, ut docuerunt Ariani, sed unitate substantiæ; Patrem esse in Filio et Filium in Patre; Patrem et Filium et Spiritum sanctum a se invicem personâ distinctos esse unum Deum; omnia creata fuisse et conservari per Verbum. Ex quibus manifeste liquet, Athenagoram Verbi cum Patre consubstantialitatem tradidisse.

« Ast Athenagoras, inquiunt, videtur putavisse rationem » ipsam, hoc est λόγον, quo Pater ipse λογικὸς est, quam » velut formam in illius essentia cogitamus, Filium esse » Dei..... Hunc igitur insitum Patri et apud eum ex » æterno manentem λόγον prodiisse dicit aliquando, ut » idea et actus esset infimarum rerum, hoc est, ut illas » confusas et tumultuarias perpoliret ac digereret. Quem » quidem progressum et προέλευσιν si Filii ac Verbi pro- » ductionem esse crediderit, sic ut illa ipsa processione » distincta primum ὑπόστασις extiterit, cum antea in Patris » essentia contineretur (quæ videtur illius opinio fuisse), » neque coæternum Patri Verbum ac λόγον existimavit, et » a Sabelliano dogmate non multum illius abhorrebit » oratio ». Ita Petavius *de Trin.* lib. I. cap. III., cui adstipulatur Læmmer l. c.

Respondeo 1° Si verba, quæ Petavius urget, intelligenda essent prout doctissimo Theologo placet, Athenagoras hæc inepta dixisset : *Deus, qui est æterna mens, habuit ab æterno in se mentem.* Quod cum admitti nequeat, dicamus oportet, Athenagoram ibi absque dubio æternam Verbi subsistentiam tradidisse.

2° Athenagoras eo loco expresse declarat, Verbum non esse γενόμενον sive factum, idque inde probat, quòd ab æterno in Deo exstiterit. Factum autem esset, si tunc tantum, cum ad res creandas progressum est, persona a Patre distincta evasisset. Quilibet enim ultro fatebitur,

factum sive γενόμενον id esse, quod, cum antea hypostasis non esset, propriam postmodum subsistentiam acceperit. Igitur juxta Athenagoram, non a mundi origine, sed a tota retro æternitate Verbum ut persona a Patre diversa exstitit.

3° Ex una parte Athenagoras eamdem numero naturam in Patre et Filio haud semel agnovit, ut ex dictis constat; ex altera vero Dei immutabilitatem verbis apertis docet, veluti n. 22. p. 299, ubi dicit : *Deus autem immortalis et immobilis et immutabilis* (ἀναλλοίωτος)..... *Deus nec mutatur* (οὔτε μεταβάλλει), *nec cadit.* Hinc certo certius colligitur, Athenagoram admisisse æternam Verbi subsistentiam; alias enim Deum mutationi obnoxium fecisset sibique manifeste contradixisset (1). Quæ cum ita sint, elucet, hanc Verbi προέλευσιν, de qua Athenagoras loquitur, non esse veram ac proprie dictam generationem, sed quamdam generationem metaphoricam, in eo positam, quod Verbum in rerum creatione primum ad extra operatum sit ac in creaturis aliquo modo expressum fuerit; sive, quod idem est, idea et ἐνεργεία rerum exstiterit, cujus prolationis causa Verbum Athenagoras primam Patris progeniem appellavit.

Sed instant et dicunt, Athenagoram, ut hanc Verbi progressionem evinceret, ad Proverbiorum (8. 22) locum provocasse, in quo Sapientia *creata* dicitur. Ergo.

Repono, Athenagoram quidem versionem septuaginta-viralem secutum esse, quæ ibidem defectuose habet ἔκτισε pro ἐκτήσατο, quod textus hebræus exhibet; sed eum voce κτίζειν creationem proprie dictam non significasse. Aut enim hanc

(1) Hæc sane aliaque rationum momenta in causa fuerint, cur Petavius, in præf. ad tom. II. *theol. dogm.* c. III, suam sententiam mitigaverit, ac postquam hujus loci verba partim recitasset, sequentia scripserit : *Hæc satis sunt ad Trinitatem et christianum de ea dogma declarandum, Arianamque comprimendam sed et Sabellianam perfidiam. Nec si quid interim adspersum est loquendi magis quam sentiendi modo ab usitata regula dissentiens, in rei errore ponendum.*

vocem in sensu gignendi (1) adhibuit, qua notione recte de Verbo prædicatur, tum ratione generationis æternæ, tum etiam respectu habito ad prolationem aliquam ad extra; aut illam usurpavit ad indicandam creationem Verbi impropriam, quatenus nempe per creationem se in rebus creatis quasi expresserit; quo sensu Sapientia rite *creata* dici potest. Sicut enim architectus formam ac imaginem sapientiæ, qua operatur, in ædificio quod molitur, exprimit; ita Verbum, ad instar sapientissimi artificis, sapientiæ suæ divinæ effigiem tam expressam in rebus creatis exhibuit, ut quasi diceres, creationem universam nihil aliud esse quam Verbi manifestationem sive Verbum exterius prolatum. Sapientiam autem hoc vel illo sensu esse Athenagoræ creatam, ex iis omnino liquet, quæ de æterna Verbi subsistentia temporalique ejus progressione superius exposita sunt.

§ 4.

S. THEOPHILUS.

Athenagoræ addendus est ejusdem aequalis Theophilus, vir egregius, qui sub imperatoribus M. Aurelio ejusque Filio Commodo, circa annum 168 sedem Antiochenam obtinuit; nam et hic nobis praebet testimonia praeclara (2) de divina Verbi natura ejusque cum Deo Patre consubstantialitate.

Igitur Theophilus, postquam in secundo ad *Autolycum* libro retulisset, inania ac inter se pugnantia rationis humanæ apud Græcos de diis, mundi ortu, et providentia figmenta, his statim opponit Prophetarum iisdem de rebus

(1) Cfr. Petavius, *de Trin.* lib. II, c. I, et c. X.

(2) Falso Petavius, lib. c. c. III, n. VI, Theophilum ita exhibet, quasi cum Platone de Verbo sensisset; Wegscheider, lib. c. § 88 *subordinatianismum* ei affingit; Læmmer autem Philonis logologiam ipsi tribuit.

effata omnino inter se consona ; atque ea occasione nobilia, quæ insequuntur, verba profert : Καὶ πρῶτον μὲν συμφώνως ἐδίδαξαν ἡμᾶς, ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων τὰ πάντα ἐποίησεν. Οὐ γὰρ τι τῷ Θεῷ συνήκμασεν· ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτοῦ τόπος ὢν, καὶ ἀνενδεὴς ὢν, καὶ ὑπερέχων πρὸ τῶν αἰώνων, ἠθέλησεν ἄνθρωπον ποιῆσαι ᾧ γνωσθῇ· τούτῳ οὖν προητοίμασε τὸν κόσμον. Ὁ γὰρ γενητὸς καὶ προσδεής ἐστιν· ὁ δὲ ἀγένητος οὐδενὸς προσδεῖται. Ἔχων οὖν ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις, ἐγέννησεν αὐτὸν μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἐξερευξάμενος πρὸ τῶν ὅλων. Τοῦτον τὸν λόγον ἔχει ὑπουργὸν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένων, καὶ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα πεποίηκεν. Οὗτος λέγεται ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει καὶ κυριεύει πάντων τῶν δι' αὐτοῦ δεδημιουργημένων. Οὗτος οὖν ὢν πνεῦμα Θεοῦ, καὶ ἀρχὴ καὶ σοφία, καὶ δύναμις ὑψίστου κατήρχετο εἰς τοὺς προφήτας, καὶ δι' αὐτῶν ἐλάλει τὰ περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ κόσμου καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων. Οὐ γὰρ ἦσαν οἱ προφῆται ὅτε ὁ κόσμος ἐγίνετο· ἀλλὰ ἡ σοφία ἡ ἐν αὐτῷ οὖσα ἡ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁ λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ· h. e. « Ac primo quidem summo » consensu docuere (prophetæ), Deum ex nihilo omnia » creasse. Nihil enim Deo coævum, sed cum sibi ipse locus sit nec ulla re egeat ac sæculis antiquior sit, ho- » minem facere voluit cui innotesceret ; huic homini » mundum præparavit. Nam qui creatus est multis rebus » eget, increatus autem nulla omnino. Habens igitur Deus » suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum, ge- » nuit illud cum sua sapientia, proferens ante omnia. Hoc » Verbo usus est administro operum suorum et per illud » omnia condidit. Vocatur principium, eo quod princi- » patum habet et dominatum eorum omnium, quæ per » ipsum creata sunt. Hic igitur, cum sit Spiritus Dei et » principium et sapientia et virtus Altissimi, descendebat » in prophetas, ac per eos de mundi creatione et ceteris » rebus loquebatur ; nondum enim erant prophetæ cum

» mundus crearetur, sed tantum Sapientia Dei, quæ est » in eo, ac sanctum Verbum ejus, quod ei semper » adest » (1). Itaque, juxta Theophilum, Deus, solus æternus, omnia ex nihilo condidit (2). Hoc autem ita fecit, ut primum λόγον, qui in se erat, ad extra produceret (ἐξερευξάμενος), eoque sic prolato operum suorum administro deinceps uteretur, ac omnia per ipsum crearet. Verbum vero Spiritus Dei est, Sapientia (3) et Virtus Altissimi quæ prophetas inspiravit, quæ ante creationem in Patre erat, quæque Patri semper adest. Quibus sane numerica Verbi cum Patre essentiæ unitas clare traditur, æternaque ipsius subsistentia manifeste declaratur. Sed haec ex infra dicendis clariorem adhuc lucem accipient (4).

(1) N. 10, p. 355 ed. Maran.

(2) Non ita Plato qui materiæ æternitatem docebat. Alibi Theophilus Platonem de industria refellit hisce verbis (n. 4. p. 349) : « Plato autem » et qui eum sequuntur, *ait*, Deum quidem fatentur ingenitum et Pa» trem et Creatorem omnium esse, sed deinceps statuunt duo esse in» genita, Deum et materiam, eamque Deo coævam esse dicunt. Quod si » Deus ingenitus et materia ingenita, non jam Deus Creator est omnium » secundum Platonicos, nec Dei constabit monarchia, quantum in ipsis » est. Deinde quemadmodum Deus, quatenus ingenitus, etiam immuta» bilis est, ita et materia, si esset ingenita, immutabilis quoque et Deo » æqualis foret, etc. »

(3) Hic obiter noto, Sapientiæ nomen non solum Verbo, sed etiam Spiritui S. a Theophilo tribui. In quo scriptores sacros Patresque imitatus est, qui Spiritum S. non raro *Spiritum sapientiæ* appellarunt. Illum hoc nomine certè designat Theophilus n. 15, p. 360, scribens : *Tres illi dies*, inquit, *qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis* (τριάδος), *Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientiæ.* Hic enim de Triade agitur, ut patet. Ex quo colligitur, errare Petavium, qui (l. c.) Verbum et Sapientiam pro una persona sumit. Idem porro n. 18. p. 362 sic habet : *Quasi auxilio indigeret Deus, dicere invenitur :* faciamus hominem, *etc. Nemini autem dicit,* Faciamus, *nisi Verbo suo et Sapientiæ suæ.* Ubi Spiritus S. etiam Sapientia aperte nominatur.

(4) Ad locum quem explanavimus provocat Wegscheider (§ 88), ut pro-

Postquam ergo Theophilus docuit mundum per Verbum esse a Deo creatum, fuseque sex dierum opus descripsit, ac speciatim enarravit verba *Geneseos* de paradiso, de Evæ formatione, et de hominis lapsu, ita occurrit difficultati, quam movere potuisset Autolycus : Ερεῖς οὖν μοι· σὺ φὴς τὸν Θεὸν ἐν τόπῳ μὴ δεῖν χωρεῖσθαι, καὶ πῶς νῦν λέγεις αὐτὸν ἐν τῷ παραδείσῳ περιπατεῖν; ἄκουε ὃ φημι· ὁ μὲν Θεὸς καὶ πατὴρ τῶν ὅλων ἀχώρητός ἐστι, καὶ ἐν τόπῳ οὐχ εὑρίσκεται. Οὐ γὰρ ἐστι τόπος τῆς καταπαύσεως αὐτοῦ. Ὁ δὲ λόγος αὐτοῦ δι' οὗ τὰ πάντα πεπόιηκε, δύναμις ὢν καὶ σοφία αὐτοῦ ἀναλαμβάνων τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς καὶ κυρίου τῶν ὅλων, οὗτος παρεγίνετο εἰς τὸν παράδεισον ἐν προσώπῳ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὡμίλει τῷ Ἀδάμ. Καὶ γὰρ αὐτὴ ἡ θεῖα γραφὴ διδάσκει ἡμᾶς τὸν Ἀδὰμ λέγοντα, τῆς φωνῆς ἀκηκοέναι· φωνὴ δὲ τί ἄλλο ἐστιν, ἀλλ' ἢ ὁ λόγος ὁ τοῦ Θεοῦ, ὅς ἐστι καὶ υἱὸς αὐτοῦ. Οὐχ ὡς οἱ ποιηταὶ καὶ μυθογράφοι λέγουσιν υἱοὺς θεῶν ἐκ συνουσίας γεννωμένους, ἀλλὰ ὡς ἀληθεία διηγεῖται τὸν λόγον, τὸν ὄντα διαπαντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ. Πρὸ γὰρ τὶ γίνεσθαι, τοῦτον εἶχε σύμβουλον, ἑαυτοῦ νοῦν καὶ φρόνησιν ὄντα. Ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ Θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, οὐ κενωθεὶς αὐτὸς τοῦ λόγου, ἀλλὰ λόγον γεννήσας, καὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ διαπαντὸς ὁμιλῶν. Ὅθεν διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἅγιαι γραφαὶ, καὶ πάντες οἱ πνευματοφόροι, ἐξ ὧν Ιωάννης λέγει· ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος· καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν· δεικνὺς ὅτι ἐν πρώτοις μόνος ἦν ὁ Θεὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ὁ λόγος. Ἔπειτα λέγει· καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Πάντα δι' αὐτοῦ

bet Theophilum inter Filium et Spiritum S. non satis distinxisse. Quid auctorem Germanum eo impulerit, non liquet. Attamen non multum a vero abesse me putem, si dicam eum ideo hunc locum allegasse, quod Filius ibidem Dei Spiritus appellatur, prophetarum afflator vocatur, sapientiæque nomine cum Spiritu S. insignitur. Utut autem sit, certum est, Theophilum inter Filium et Spiritum S. distinxisse. Cfr. n. 15. n. 18. etc.

ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Θεὸς οὖν ὢν ὁ λόγος, καὶ ἐκ Θεοῦ πεφυκὼς, ὁπότ' ἂν βούληται ὁ πατὴρ τῶν ὅλων, πέμπει αὐτὸν εἴς τινα τόπον, ὃς παραγινόμενος καὶ ἀκούεται καὶ ὁρᾶται, πεμπόμενος ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐν τόπῳ εὑρίσκεται. h. e. « Dices igitur mihi : Deum dicebas comprehendi loco non » debere; quomodo eum nunc in paradiso dicis ambulare? » Audi quid respondeam : Deus et Pater universorum, » non potest ille quidem comprehendi, nec invenitur in » loco, neque enim est locus requiei ejus. Sed ejus Ver- » bum, per quod fecit omnia, cum sit ejus *virtus et sa-* » *pientia*, assumens Patris et Domini universorum perso- » nam, veniebat in paradisum sub persona Dei et cum » Adamo colloquebatur. Nam et ipsa nos divina docet » Scriptura, Adamum dixisse auditam esse a se vocem. Vox » autem illa quid aliud esse potest quam Verbum Dei, » quod ejus quoque Filius est; non ut poetæ et fabularum » scriptores filios deorum ex concubitu genitos fingunt, » sed ut veritas narrat, Verbum semper exsistens et in » corde Dei insitum. Ante enim quam quidquam fieret, » eo utebatur consiliario, cum ejus mens et prudentia » sit. Cum autem voluit Deus ea facere quæ statuerat, » hoc Verbum genuit prolatitium, primogenitum omnis » creaturæ; non ita tamen ut Verbo vacuus fieret, sed » ut Verbum gigneret et cum suo Verbo semper ver- » saretur. Hæc nos docent Scripturæ sanctæ et quotquot » Spiritu Sancto afflati fuere, in his Joannes ita dicens : *In* » *principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum.* Quibus » verbis ostendit, initio solum fuisse Deum et in eo Ver- » bum. Tum addit : *et Deus erat Verbum : omnia per ip-* » *sum facta sunt et sine ipso factum est nihil.* Verbum » igitur cum Deus (Θεὸς) sit et ex Deo genitum (ἐκ Θεοῦ » πεφυκὼς), illud Pater universorum, cum ita visum fuerit, » mittit in aliquem locum, quo cum venerit, auditur et

» videtur, missum ab eo, et in loco invenitur » (1). Hic Theophilus Autolyco exponit, quomodo in antegressis (N. 3. p. 349) dicere potuerit, Deum loco circumscribi non posse, nec tamen idcirco se adversari Scripturæ Sacræ, quæ loco a se citato (*Gen. III*) disertis verbis dicit, Deum in paradiso ambulasse et cum Adamo fuisse collocutum. Monet igitur Theophilus, in iis Scripturæ testimoniis, in quibus dicitur Deus loco contineri non posse, ibi sermonem institui de Deo Patre, qui, quum ingenitus sit, neque mitti neque adeo spatio comprehendi potest. Ubi vero dicitur Deus in paradiso ambulasse et cum Adamo locutum fuisse, ibi sermonem fieri de Verbo, per quod Pater, tanquam per suam potentiam et sapientiam, omnia fecit. Rationem autem propter quam Verbum loco includi possit, inde sumit Theophilus, quòd *Verbum cum Deus sit et ex Deo genitum, illud Pater universorum, cum ita visum fuerit, mittit in aliquem locum, quo cum venerit, auditur, et videtur, missum ab eo, et in loco invenitur.* Itaque ratio ob quam Verbum loco includi possit, a Theophilo in eo posita est, quod Verbum, utpote a Patre genitum, ab ipso mitti potest, atque ita speciem aliquam corporalem induere in qua dicatur *deambulare, loqui*, etc. Nam ceterum, ut docet Theophilus, Verbum propriâ essentiâ æque ac Pater immensum est; quippe unius et ejusdem numero naturæ cum ipso consors. Est enim Patris potentia, sapientia, mens et prudentia, Deus et Dei Filius, Verbum semper exsistens et in corde Dei insitum, quod ante omnem creationem Patris consiliarius fuit, quocum Pater continuo versatur et quo carere nequit. Ex quibus cum numerica in Patre et Filio essentiæ unitas probatur, tum etiam æterna Verbi hypostasis evincitur.

Sed audiendus est Petavius, qui existimavit Theophilum

(1) Lib. c. n. 22, p. 365.

de λόγῳ non aliter ac Platonem sensisse. « Duplicem λόγον, » *ait*, statuere videtur Theophilus, alterum *ἐνδιάθετον*, » Patri ipsimet insitum, qui cum ipso et in ipso ex » æterno fuerit, et, ut opinor, ipsa Dei est essentia, sive » mens illius et intelligentia, unde habet ut λογικὸς no- » minetur, eademque est *λογικὴ δύναμις* unde λόγον pro- » diisse Tatianus docuit; alterum *λόγον προφορικὸν*, prolati- » tium, vocat, quem Deus Pater protulit administrum » operum suorum, quem et quocumque voluerit, alle- » gat.... quem neque coæternum, neque *ὁμοούσιον*, sed » minorem putavit Theophilus; velut *ὑπούργον* et minis- » trum, qui id habet ut sensibus, quando ita Pater vo- » luerit, subjiciat sese, ac loco contineatur. Quod quidem » summus ille Deus ac Pater non potest... Quæ ut ab- » surda, ita Justini, Athenagoræ ac Tatiani doctrinæ con- » sentanea sunt, et ex platonico dogmate deprompta » (1).

Ad hæc respondemus, in errore versari Petavium. Nam 1° non duplicem, sed unum dumtaxat λόγον Theophilus agnoscit, quem modo *ἐνδιάθετον*, modo *προφορικὸν* appellat, prout illum considerat aut quatenus in Pater ab æterno exsistit, aut quatenus exterius a Patre profertur sive ad extra operatur et per creationem manifestatur. Hoc perspicue liquet ex duobus Theophili locis quæ supra expendimus. Etenim Theophilus n. 22, postquam de λόγῳ *ἐνδιάθετῳ*, quem Pater in se ab æterno habuit, sermonem fecisset, statim addit : *Hoc Verbum genuit prolatitium*, *τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν*. In quibus vox τοῦτον, ut patet, ad antegressum λόγον *ἐνδιάθετον* necessario referenda

(1) L. c. Hanc suam sententiam cl. auctor ipse postea emendavit, his verbis : « De hoc (Theophilo) vero idem, quod de Athenagora, et Justino, » atque etiam Tatiano, secundi omnibus sæculi Scriptoribus, asseveran- » dum est, eos omnes dogmatis caput et substantiam ipsam sine ulla » labe tenuisse, atque ex tam concordi de tribus in divinitate sententia, » quoquo tandem ea genere locutionis expresserint, vim occultæ et ab » Apostolis transfusæ traditionis colligi ». Præf. in tom. II. cap. III. n. III.

est. Igitur unus idemque λόγος et ἐνδιάθετος et προφορικὸς a Theophilo nominatur. Præterea idem eodem loco asserit, τὸν λόγον, qui cum Adamo in paradiso locutus est, id est, λόγον προφορικὸν, semper exsistere in corde Dei insitum, διαπαντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ. Ergo λόγος προφορικὸς, juxta Theophilum, etiam est ab æterno λόγος ἐνδιάθετος. Deinde Theophilus ibidem declarat, Patrem non ita genuisse λόγον, ut τῷ λόγῳ vacuus fieret (κενωθεὶς), sed ita *ut λόγον gigneret et cum suo λόγῳ semper versaretur.* Ex quo patet, λόγον προφορικὸν etiam esse ἐνδιάθετον. Denique Theophilus n. 10 expresse docet, λόγον προφορικὸν, qui per prophetas loquebatur, ipsum esse λόγον qui ab æterno simul cum Patre fuit, hoc est, λόγον ἐνδιάθετον. Quæ cum ita sint, satis superque apparet, Theophilum nonnisi unum admisisse λόγον, quem nunc quidem προφορικὸν, nunc vero ἐνδιάθετον appellavit.

2° Hoc posito, ruit etiam alterum illud Petavii assertum, quo docuit, λόγον προφορικὸν apud Theophilum esse naturâ a Patre diversum. Nam si λόγος ille unus et idem est cum λόγῳ ἐνδιάθετῳ, quod invicte probasse mihi videor, utique Petavius qui naturæ singularitatem in Patre et λόγῳ ἐνδιάθετῳ agnoscit, idem etiam de λόγῳ προφορικῳ admittat necesse est. Ceterum Theophilus numericam essentiæ unitatem in Patre et Verbo præclare docuit, ut ex dictis constat. Verbum enim ipsi est Dei spiritus, sapientia et virtus Altissimi, Patris mens et prudentia, Deus et Dei Filius, qui semper in corde Patris insitus exsistit, et quo Pater nunquam privatur. Quibus quid expressius ad adstruendam Verbi cum Patre naturæ identitatem dici possit, non video.

3° Inde rursum erroris arguitur Petavius, ubi λόγου ἐνδιάθετου propriam subsistentiam negat, ac nonnisi hypostasim temporalem λόγῳ προφορικῳ tribuit. Nam quum λόγος προφορικὸς personalitate propria donetur, idemque prorsus sit ac λόγος ἐνδιάθετος, omnino fieri nequit, quin subsis-

tentia λόγῳ ἐνδιάθετῳ etiam tribuatur. Quæ quidem subsistentia, cum in Dei natura exsistat, æterna sit oportet.

At forsan quis dicat, λόγον ἐνδιάθετον et λόγον προφορικὸν unum quidem esse naturamque divinam habere, sed nihilominus ad rerum creationem solum distinctam a Patre personalitatem accepisse.

Cui statim repono, ejusmodi assertionem Dei immutabilitati repugnare, quam Theophilus expresse docet, his verbis : *Caret* (Deus) *principio*, *quia ingenitus*, *immutabilis est*, *quatenus immortalis* (1). Accedit, quod Theophilus æternam Verbi subsistentiam aperte tradit. Verbum enim, secundum ipsum, Patris consiliarius ante creationem exstitit. Qui autem alicujus consiliarius est, is ab eo distinguatur necesse est. Porro Verbum Patri semper adest (συμπαρὼν); atqui, ut monet S. Athanasius *contra Arianos* orat. 2, *omne coëxistens non sibi sed alteri coëxistit.* Denique Pater cum Verbo perpetuo conversatur, quod non nisi inter personas diversas obtinet. Ex quibus æterna Verbi personalitas omnino consequitur.

4° Ex dictis elucet, generationem illam quam Theophilus Verbo tribuit tunc, cum Deus facere voluit ea quæ statuerat, esse certo metaphorice explicandam, adeoque Petavium a vero aberrare, ubi eam pro vera Verbi generatione sumit. Si Verbum enim veluti persona a Patre diversa, at unius ejusdemque numero naturæ consors ab æterno exstitit, ut invicte probatum est; profecto ante suam ad res creandas nativitatem, a Patre distinctum erat, eaque prolatio temporalis metaphorice dicta est. Qua quidem prolatione nihil aliud indicari putem, quam primam Verbi ad extra emissionem sive operationem, cujus gratia primogenitum omnis creaturæ a Theophilo appellatum fuerit.

5° Ex antegressis etiam patet, Petavium magnopere

(1) Lib. 1. p. 340. Cfr. etiam lib. II. p. 349.

falli, ubi dicit, Theophilum λόγον Patre inferiorem putasse. Constat enim, S. Doctorem naturæ singularitatem in Patre et Filio agnovisse ac æternam Verbo subsistentiam tribuisse, proindeque omnimodam eorum æqualitatem docuisse. Et hoc quidem eo magis verum est, quòd Theophilus, ubi Trinitatem cum tribus diebus, qui ante luminaria fuere, comparat, ibi personarum divinarum æqualitatem manifeste docet. Sicut enim tres illi dies pares erant, ita SS. Trinitatis personæ æquales sunt.

6° Demum ex iis, quæ stabilita sunt, adversus Petavium egregie conficitur : Verbum, non ratione naturæ propriæ, sed assumptæ, in paradiso ambulasse, etc., uti jam supra ostendimus; et porro, Theophilum *ministri* nomen improprio sensu ei tribuisse, quatenus Verbum, licet Patri ὁμοούσιον et æquale, in rerum tamen creatione decretum primitus a Patre ortum executioni mandaverit, idque per potentiam et actionem a Patre acceptam; ut adeo Pater per ipsum egerit. Qua de re vide quæ ad Justinum observavimus.

§ 5.

S. MELITO.

Theophilum excipiat S. Melito, præclarus Ecclesiæ Sardensis episcopus, qui, teste Polycrate ejus æquali, *certe inter doctores divinus et sapientissimus* exstitit (1). Quam egregie vero sanctissimus ille vir de Verbi ὁμοούσια senserit, jam ex Caio, tertii sæculi scriptore, discimus, qui eum tanquam acerrimum Christi divinitatis defensorem exhibuit (2).

Verum, quamquam inde a primis ecclesiæ temporibus, Caji, testis admodum idonei, auctoritate probatum est,

(1) Apud Euseb. *Hist. lib.* V. cap. 24.
(2) Apud eumdem lib. c. cap. 28.

nobilem illum Sardium episcopum Christi deitatem strenue propugnasse, effata tamen Melitonis omnino pauca hactenus adduci potuere. Demptis enim duobus locis ab Anastasio Sinaita in *Hodego* (c. XIII) asservatis, et eo effato, quod auctor *Chronici Paschalis* seu *Alexandrini* recitavit, nullum Melitonis hac de re supererat testimonium. Sed anno proxime elapso, nova quædam sanctissimi Patris effata, a W. Curetonio in codice syriaco sæculi, ut videtur, septimi, detecta, ac ab E. Renano e Syriaco in Latinum translata, in tomo II *Spicilegii Solesmensis*, cura ac studio J. B. Petræ, O. S. B. monachi, publicam in lucem feliciter prodierunt. Quo factum est, ut quod antehac non nisi paucis argumentis, id nunc multo pluribus probari possit. Audiamus ergo insignem illum et quasi novum Verbi consubstantialitatis testem, ac denuo discamus, quam frivolæ et ineptæ sint quærelæ eorum, quos hic ex instituto impugnamus.

Igitur in fragmento Syriaco *tractatûs de anima et corpore* (1) S. Melito sic loquitur :

ܗܘ ܕܐܝܟ ܐܦ ܐܒܐ ܫܕܪ ܒܪܗ ܕܟܝܢܐ ܡܢ ܫܡܝܐ ܠܓܘ ܦܓܪܐ
ܕܐܬܬܝܠܕ ܒܡܪܝܡ ܒܬܘܠܬܐ . ܡܛܠ ܕܟܕ ܐܬܦܓܪ ܗܘ ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ
ܡܢ ܫܡܝܐ ܠܓܘ ܦܓܪܐ . ܠܐ ܟܝܢܐ ܗܘ ܕܐܬܬܝܠܕ ܒܡܪܝܡ .

hoc est : *Propterea Pater misit Filium suum e cœlo incorporeum* (2), *ut, postquam incarnatus esset per uterum* (3) *Virginis*

(1) Apud Pitram, in Proleg. (p. LVI sq.) ad t. II operis, cui titulus : *Spicilegium Solesmense compl. SS. PP. Scripttque Eccl. anecdota hactenus opera, selecta e Græcis Orientalibusque et Latinis codicibus*, Parisiis 1855.

(2) ܕܐܬܬܝܠܕ ܒܪܗ Renanus reddit *sine corpore*. Rectius dixisset : *incorporeum*, quod reposui.

(3) Renanus scripsit in *utero Virginis*. Correxi *per* ; nimirum ܒ nuspiam valet *in*.

et natus esset homo, salvaret (1) *hominem, etc.* Deinde, paucis interjectis, de Christi morte dicens ita pergit :

ܐܪܥܐ ܪܓܙܬ ܘܐܫܬ̈ܐ ܕܐܬܬܙܥܙܥܘ ܐܙܠ ܫܡܫܐ ܘܥܒܪ ܙܒܢܐ ܠܐ ܗܘܐ ܐܠܐ ܕܐܬܬܩܛܠ ܡܪܝܐ ܥܠ ܥܘܠ̈ܐ ܕܥܠ ܥܘܠ̈ܐ ܘܐܬܬܕܡ ܟܠ ܒܪܝܬܐ ܘܐܡܪ ܡܢ ܗܘ ܕܝܢ ܕܐܬܬܕܝܢ ܕܝܢ ܩܕܡ ܕܝܢ ܕܐܬܬܩܛܠ ܒܥܘܠ̈ܐ ܘܫܬܩ ܟܠ ܩܠ̈ܐ ܘܐܬܬܟܣܝ ܒܫܟ̈ܐ ܘܠܐ ܐܬܬܙܥ ܘܠܐ ܐܬܬܒܗܬ ܘܠܐ ܐܬܬܚܫ ܘܠܐ ܐܬܬܩܛܠ ܘܠܐ ܐܬܬܕܡ

pugnat, impassibilis patitur, nec ulciscitur; immortalis moritur, nec respondet verbum unum; cœlestis sepelitur et fert. Quid est mysterium hoc novum (1)? Quibus verbis divina et humana Christi natura declarantur sibique invicem opponuntur. Secundum naturam humanam Christus homo est ex Virgine natus, visibilis, finitus, passibilis, mortalis; secundum naturam divinam vero Christus Dei Filius exsistit, invisibilis, incomprehensibilis, impassibilis, immortalis, rerum omnium Dominus, is qui eum in finem incarnatus ac mortuus est, ut hominem salvaret eumque a morte redimeret.

His iterum optime congruunt ea quæ sanctus Doctor in lib. III *De incarnatione Christi* scribit : Οὐδεμία ἀνάγκη τοῖς νοῦν ἔχουσιν, ἐξ ὧν μετὰ τὸ βάπτισμα ὁ Χριστὸς ἔπραξε, παριστᾷν τὸ ἀληθὲς καὶ ἀφάνταστον τῆς ψυχῆς αὐτοῦ καὶ τοῦ σώματος, τῆς καθ' ἡμᾶς ανθρωπίνης φύσεως. Τὰ γὰρ μετὰ τὸ βάπτισμα ὑπὸ Χριστοῦ πραχθέντα, καὶ μάλιστα τὰ σημεῖα, τὴν αὐτοῦ κεκρυμμένην ἐν σαρκὶ θεότητα ἐδήλουν, καὶ ἐπιστοῦντο τῷ κόσμῳ. Θεὸς γὰρ ὢν ὁμοῦ τε καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτὸς, τᾶς δύο αὐτοῦ οὐσίας ἐπιστώσατο ἡμῖν· τὴν μὲν θεότητα αὐτοῦ διὰ τῶν σημείων ἐν τῇ τριετίᾳ τῇ μετὰ τὸ βάπτισμα, τὴν δὲ ἀνθρωπότητα αὐτοῦ ἐν τοῖς τριάκοντα χρόνοις τοῖς πρὸ τοῦ βαπτίσματος· ἐν οἷς διὰ τὸ ἀτελὲς τὸ κατὰ σάρκα ἀπεκρύβη τὰ σημεῖα τῆς αὐτοῦ θεότητος· καίπερ Θεὸς ἀληθὴς προαιῶνιος ὑπάρχων. h. e. « Minime necesse est, si quis mente non careat, » illud ex iis quæ post baptismum Christus gessit, astrua» tur, scilicet in veritate et sine ulla inani apparentia » ipsius animam et corpus, juxta nostram naturam huma» nam, consistere. Nam quæ post baptismum Christus

(1) Similia inveneris in alio Melitonis fragmento syriaco *Sermonis de Cruce* (apud Pitram lib. c. proleg. pag. LVIII), in quo Christus ab ipso declaratur Deus et Dei Filius, incorporeus, simplex, immensus, immutabilis, immortalis atque omnia tenens.

» egit, et imprimis miraculorum signa, suam in carne » absconditam divinitatem declarabant, quæ et a mundo » credita sunt. Quippe cum ipse Deus simul et homo sit » perfectus, utramque suam substantiam nobis patefecit; » suam quidem divinitatem per signa trium post baptis- » mum annorum; suam vero humanitatem ex triginta » annis ante baptismum elapsis; in quibus videlicet per » eam quæ carnis est vilitatem occultabantur signa divi- » nitatis ejus, tametsi Deus verus ante sæcula exstite- » rit » (1). Quibus verbis et humana et divina Christi natura egregie prædicantur. Christus enim Melitoni verus (ἀληθὴς) Deus ante sæcula sive ab æterno exstitit, et verus homo est, corpore et anima præditus; ut ita Deus simul et homo sit perfectus (τέλειος). Quam duplicem naturam nobis clare patefecit, divinam quidem per signa trium post baptismum annorum, humanam vero per triginta annos, qui baptismo præiverunt.

Nobilissimum præterea Christi divinitatis argumentum nobis suppeditat effatum illud insigne *Sermonis de Passione*, quod Anastasius Sinaita memoriæ prodidit (2) : *Deus passus est a dextera Israelitidis* (Ὁ Θεὸς πέπονθεν ὑπὸ δεξιᾶς Ἰσραηλίτιδος), id est, a gente Israelitica. Ubi Christus diserte Deus cum Articulo huic nomini præposito ὁ Θεὸς vocatur.

Neque minus luculenta sunt S. Melitonis verba, quæ leguntur in fragmento ejus *Apologiæ* ad Marcum Aurelium : *Non sumus cultores*, ait, *lapidum sensu omni carentium* (Οὐκ ἐσμὲν λίθων οὐδεμίαν αἴσθησιν ἐχόντων θεραπευταί), *sed solius Dei, qui est ante omnia et super omnia* (ἀλλὰ μόνου Θεοῦ τοῦ πρὸ πάντων καὶ ἐπὶ πάντων); *et Christi quoque ejus, qui est Dei Verbum ante sæcula, cultores sumus* (καὶ ἔτι τοῦ Χριστοῦ

(1) Anastasius Sinaita lib. c. (apud Pitram, Proleg. p. LXI).

(2) Lib. c. (apud Pitram, proleg. p. LVIII).

αὐτοῦ, ὄντος Θεοῦ Λόγου πρὸ αἰωνων, εσμὲν θρησκευταί) (1). In quibus Christus non solum vere Deus declaratur, sed etiam uno eodemque cultu cum Deo a Christianis honorari pronuntiatur. Unde vera ipsius cum Patre ὁμοούσια mire splendescit.

Hic autem, priusquam de Melitone dicendi finem faciamus, liceat nobis exscribere præclarissimum pro Verbi ὁμοούσια testimonium, quod in tom. I. *Spicil. Solesm.* p. 3 sqq. ex interprete Syro et Armeniaco sub nomine Irenæi evulgatum est; in *Spicil.* vero *Roman.* t. III, p. 704 ex versione Arabica ab Em. Card. Maio sub nomine Hierothei editum est; ac demum in tom. II *Spicil. Solesm.* proleg. p. LIX ex versione Syriaca Curetoniana sub Melitonis titulo publicam in lucem emissum est. Versio Syriaca latine sic sonat : « Ex lege et prophetis collegimus ea quæ » prædicantur de Domino nostro Jesu Christo, ut demon- » straremus charitati vestræ ipsum esse intellectum per- » fectum, Verbum Dei. Ipse est qui ante lucem genitus » est; ipse est creator cum Patre; ipse fictor hominis; » ipse qui in omnibus omnia erat : ipse est qui in patriar- » chis patriarcha erat; in lege lex; in sacerdotibus, prin- » ceps sacerdotum; in regibus, gubernator; in prophetis, » propheta; in angelis, princeps angelorum; in voce Ver- » bum; in spiritibus, spiritus; in Patre, Filius; in Deo, » Deus; rex in sæcula sæculorum. Ipse enim est qui Noëmo » fuit κυβερνήτης; ipse qui Abrahamum duxit; ipse qui cum » Isaaco ligatus est; ipse qui cum Jacobo fuit peregrinus; » ipse qui cum Josepho venditus est; ipse qui cum Moyse » fuit dux; ipse qui cum Josue Filio Nun divisit hæredi- » tatem; ipse qui per Davidem et prophetas prædixit

(1) Fragmentum illud nobis servavit auctor *Chron. Alexand.* p. 259. ed. Cang. Cfr. *Spicil. Solesm.* t. 2. l. c. ubi interpres latinus pro *et Christi quoque ejus*, etc. male reddidit *et in Christo ejus*; male pariter ὄντος reddidit *vere*, quasi ὄντως ibi scriptum esset et non ὄντος.

» passiones suas; ipse qui in Virgine incarnatus est; ipse » qui in Bethlehem natus; ipse qui in præsepi fasciis » cinctus est; ipse qui a Pastoribus visus est; ipse qui ab » Angelis laudatus est; ipse qui a Magis adoratus est; » ipse qui a Johanne annuntiatus est; ipse qui Apostolos » congregavit; ipse qui regnum prædicavit; ipse qui claudos » sanavit; ipse qui cæcis dedit lucem; ipse qui mortuos » suscitavit; ipse qui in templo visus est; ipse qui a populo » non creditus est; ipse qui a Juda proditus est; ipse qui » a sacerdotibus comprehensus; ipse qui a Pilato judicatus » est; ipse qui in carne clavibus perforatus est; ipse qui » a ligno suspensus est; ipse qui in terra sepultus est; » ipse qui e domo mortuorum surrexit; ipse qui Apostolis » apparuit; ipse qui ad cœlos sublatus est; ipse qui ad » dexteram Patris sedet; ipse qui est requies defunctorum; » repertor perditorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, » redemptor captivorum, rector errantium, refugium mœ- » rentium, sponsus Ecclesiæ, Cherubim ἠνίοχος, Princeps » exercitus Angelorum, Deus ex Deo, Filius ex Patre, » Jesus Christus rex in sæcula. Amen » (1). Quo loco Christus aperte declaratur non solum Filius ex Patre, sed etiam Deus ex Deo, qui universa cum Patre creaverit atque in omnibus omnia fuerit.

§ 6.

S. IRENÆUS.

Sæculo secundo ad finem vergente floruit Irenæus, Polycarpi aliorumque virorum ab Apostolis eorumve auditoribus institutorum discipulus, qui, mortuo Pothino, sedem Lugdunensem occupavit, ac, Septimo Severo Imperatore, vitam glorioso martyrio finivit. Plura is eaque præclarissima habet

(1) Melito *de Fide* (apud Pitram l. c.).

pro Verbi consubstantialitate testimonia (1) in insigni illo opere, cui titulus : *Detectio et Eversio falso cognominatæ cognitionis*, quodque vulgo appellatur : *Libri contra hæreses.* Seligemus pauca ex multis, et ea quidem quæ ad repellenda Stieren (2), Wegscheider (3), Saisset (4) aliorumque convitia sufficiant, et S. Patris logologiam orthodoxam esse plane evincant.

Sed, quo melius intelligatur vis testimoniorum quæ adducturi sumus, operæ pretium fuerit, Gnosticorum, quos Irenæus impugnat, sententiam, paucis in antecessum adumbrare.

Ergo Gnosticismus non est nisi rationis humanæ tentamen, ad mali originem, fide exclusa, exponendam. Præcipua vero istius systematis capita hæc sunt : 1° Deum existere summe bonum et perfectum, omnis bonitatis perfectionisque fontem; 2° materiam in se ac essentialiter esse malam omnisque mali principium; 3° æones sive virtutes perfectione decrescentes Deum inter materiamque exstare medias, quarum prima e substantia divina oriatur, ultima vero materiam ingreditur mundumque informet. Ita porro Gnostici suum systema evolvunt : Deus summus ac Pater per innumera sæculorum spatia solitarius fuit. Cum vero mundum creare voluit, primum æonem, id est, νοῦν sive μονογενὴν produxit, qui Patri suo perfecte similis et æqualis est, et ab ipso neque natura neque persona distinguitur, sed mera ejus efficacia est, aut proprietas impersonalis. Νοῦς vero λόγον emisit, qui ut hypostasi ita etiam essentia ab eo secernitur et illo minor est. Λόγος vicissim alios æones a se diversos seque perfectione infe-

(1) Jam Caius (apud Euseb. lib. V. c. 28) et Hieronymus (*adv. Helvid.* c. 9) testantur Irenæum Christi divinitatem strenue propugnasse.

(2) Lib. c. § 28.

(3) Lib. c. § 83 et § 88, in quo *subordinatianismus* etiam Irenæo tribuit.

(4) Lib. c. p. 161, ubi Irenæum *Arianismi* insimulat.

riores emisit; atque ita deinceps donec tandem emitteretur δημιουργὸς, a quo mundus creatus est. Deus namque supremus, utpote infinite perfectus, nullatenus potuisset, salva sua majestate et sanctitate, hunc mundum aspectabilem immediate condere; sed quodam ente inferiori ad illum creandum necessario indiguit. Quod quidem ens sive δημιουργὸς tamquam Legis antiquæ auctor a Gnosticis exhibetur ac passim, sicuti alii æones, Deus appellatur. Hinc patet, palmare Gnosticorum dogma, in ipsorum de origine mundi sententia esse ponendum; etenim non alia de causa sui systematis commenta effinxerunt, nisi ut rerum conditionem explicarent, ac mali existentiam et originem simul cum summa Dei perfectione componerent. Unde factum est, ut Irenæus illum errorem potissimum impugnaverit.

His ita præmissis, ad argumenta quibus Verbi cum Patre ὁμοούσια ex Irenæo probari possit, accedimus. Ac primum quidem hæc veritas clare demonstratur ex locis, in quibus S. Pater contra Gnosticos ostendit, unum Deum, qui est super omnia et supra quem non est Deus, omnia prorsus sive visibilia sive invisibilia condidisse; idque non per organa et instrumenta a se diversa, nec per virtutem quamdam inferiorem alterius a se naturæ, sed per Filium et Spiritum S. qui sunt ejusdem ac ipse substantiæ. Ita lib. 1. contra hæreses cap. XXII, p. 98 loquitur : « Cum teneamus autem nos regulam veritatis, id est, » quia sit Deus unus omnipotens, qui omnia condidit, » per Verbum suum, et aptavit, et fecit ex eo quod non » erat, ad hoc ut sint omnia, quemadmodum Scriptura » dicit : *Verbo enim Domini cœli firmati sunt et Spiritu* » *oris ejus omnis virtus eorum.* Et iterum : *omnia per* » *ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Ex om- » nibus autem nihil subtractum est; sed omnia per ipsum » fecit Pater, sive visibilia, sive invisibilia, sive sensibi- » lia, sive intelligibilia, sive temporalia propter quamdam

» dispositionem, sive sempiterna et æonia; non per Ange-
» los, neque per virtutes aliquas abscissas ab ejus senten-
» tia; nihil enim indiget omnium Deus : sed et per Ver-
» bum et Spiritum suum omnia faciens et disponens, et
» gubernans, et omnibus esse præstans » (1). Hic igitur Irenæus docet, omnia condita fuisse a Deo, et non per Angelos, aut per virtutes ab ejus sententia abscissas; nihilo enim a se diverso Deum indigere; sed per Filium et Spiritum S., qui eamdem numero naturam cum Patre habent. Nam si quid alienum a Patris substantia forent, nullatenus dici posset, Patrem nihilo ad res creandas indigere, quod tamen Irenæus asserit. Similia alibi tradit S. Pater, hisce verbis : « Nullius indigens omnium Deus, Verbo
» condidit omnia et fecit, neque angelis indigens adjutori-
» bus ad ea, quæ fiunt, neque virtute aliqua valde inferiori
» ab illo.... Proprium est enim hoc Dei supereminentiæ,
» non indigere aliis organis ad conditionem eorum quæ
» fiunt; et idoneus est et sufficiens ad formationem om-
» nium proprium ejus Verbum, quemadmodum et Joannes
» Domini discipulus ait de eo : *Omnia per ipsum facta sunt*

(1) Edit. Massuet. Hic obiter moneo erravisse Wegscheider (§ 83), ubi docet Irenæum hoc loco Verbum cum Spiritu S. confudisse. Aut enim de una persona, aut de duabus ibi agitur. Si de duabus personis sermo fit, quod plurimi auctores præclari censent, affirmandum est, S. Doctorem idem *spiritûs* nomen secundæ et tertiæ Trinitatis personæ tribuisse; quod propter naturam utrique communem recte fieri potest, salva distinctione inter utramque personam. Si vero de una persona sermo habetur, quod Wegscheider existimat, dicendum est, Irenæum de Verbo solo locutum esse, cui spiritûs appellationem dederit, qua certe cum Spiritu S. nequaquam confunditur, ut per se patet. Ceterum Irenæum Filii et Spiritus S. distinctionem agnovisse, vel ex hoc loco liquido constat (lib. IV. cap. XX. p. 253) : *Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos, et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ubi distincta et æterna Spiritus S. personalitas apertissime traditur.

» *et sine ipso factum est nihil* » (1). Ex quibus clare vides, proprium esse Dei, non indigere aliis organis ad rerum creationem, sed proprium ipsius Verbum, per quod omnia fecit, eum in finem illi sufficere. Unde colligitur, Verbum esse Patri consubstantiale; secus enim Pater alio organo ad rerum conditionem indiguisset, illudque de facto adhibuisset. Similia rursus invenies cap. XXX, n. 9. p. 163 ejusdem libri, ubi sic legitur : « Solus hic Deus invenitur, » qui omnia fecit, solus omnipotens, et solus Pater con- » dens et faciens omnia, et visibilia, et invisibilia.... hic qui » est super omnem principalitatem et potestatem et domi- » nationem et virtutem, hic Pater, hic Deus, hic conditor, » hic factor, hic fabricator, qui fecit ea per semetipsum, » hoc est, per Verbum et per Sapientiam suam, cœlum » et terram et maria et omnia quæ in eis sunt ». Ex quibus iterum liquido constat, Deum unum solum esse, qui est super omnia, quique omnia per Verbum et Sapientiam, sive, quod idem est, per semetipsum creavit. Quo sane Verbi et Spiritûs S. cum Patre essentiæ unitas aperte significatur. Neque minus pro re nostra disertus est Irenæi locus quem jam ex parte recitavimus, quique sic habet : « Ipse (Pater) est, qui per semetipsum consti- » tuit et elegit et adornavit et continet omnia... Non ergo » Angeli fecerunt nos, nec nos plasmaverunt, nec Angeli » potuerunt imaginem facere Dei; nec alius quis præter » Verbum Domini, nec virtus longe absistens a Patre » universorum. Nec enim indigebat horum Deus ad fa- » ciendum, quæ ipse apud se prædifinierat fieri, quasi » ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper » Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et » in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et lo- » quitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudi-*

(1) Lib. II, cap. II, n. 4 et seq. p. 118.

nem nostram » (1). Quibus verbis Irenæus etiam manifeste docet, tum Filii et Spiritûs S. cum Patre naturæ identitatem, tum distinctam eamque æternam ipsorum subsistentiam (2). Nam ex una parte *manus Dei* ab eo appellantur; ex altera vero Patri *semper adesse* dicuntur. Itaque summatim eo redit Irenæi de rerum origine sententia : Deus non nisi unus exsistit, estque super omnia, ac omnia tam visibilia quam invisibilia condidit. Condidit autem non per virtutes naturâ a se diversas, seque inferiores ac in tempore productas, ut somniabant Gnostici, (nam Deo proprium est, nullo ad creandum indigere) sed per Filium et Spiritum S., qui tanquam personæ ab ipso distinctæ, unius ejusdemque cum eo naturæ consortes ab æterno exsistunt. Sunt enim, ut Irenæus loquitur, hi Dei manus per quas et in quibus Pater omnia fecit, et ad quos dixit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, quique Patri semper adsunt.

Præterea Irenæi de Verbi ὁμοούσια fides apertissime patet ex eo argumento quo contra Gnosticos supremam Creatoris divinitatem inde evincit, quòd passim in sacris Litteris Dei nomen ei absolute tribuitur : *Neque igitur Dominus*, inquit, *neque Spiritus S., neque Apostoli eum, qui*

(1) Lib. IV. cap. XX; n. I. p. 253.

(2) Sexcentis aliis in locis Irenæus æternam Verbi cum Patre coëxistentiam ac personalitatem aperte tradit. Sic ex. g. dicit lib. II, cap. XXV, p. 155 : *Non enim infectus es, o homo, neque semper coëxistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum.* Lib. II. cap. XXX, n. 9. p. 163 : *Semper autem coëxistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem.* Lib. III, cap. XVIII, n. I, p. 209 : *Non tunc cœpit* (quando incarnatus est) *Filius, exsistens semper apud Patrem.* Lib. IV. cap. XX, p. 253 : *Quoniam Verbum, id est, Filius, semper cum Patre erat, per multa demonstravimus.* Item lib. II. cap. XIII, lib. III. cap. VIII, lib. IV. capp. XIII et XIV. Ex quibus locis omnino refelluntur Wegscheider et Saisset, qui negarunt, Irenæum professum fuisse æternam Verbi existentiam.

non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus; neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem et Filium ejus (1). Jam vero, ut Irenæus pluribus postea docet, Pater et Filius in Scriptura sacra Deus et Dominus absolute appellantur. Ex quo sequitur, eos vere ac proprie Deum esse. Et hoc quidem etiam inde confirmatur, quòd Irenæus ibidem Patris et Filii περιχώρησιν sive circumincessionem docet hisce verbis : *Per Filium itaque, qui est in Patre, et habet in se Patrem, is qui est, manifestatus est Deus.* Quo nihil præclarius pro vera Verbi divinitate et consubstantialitate dici potest. Nam Pater non potest esse in Filio et Filius in Patre, quin unam eamdemque numerice naturam habeant, quamquam personalitate a se invicem discernuntur.

Neque satis fuit Irenæo ostendere, Patrem et Filium, sive, quod idem ipsi est, Creatorem, in sacra Scriptura Deum et Dominum absolute vocari ; sed insuper rationem dat, ob quam hoc nomine insigniri debeant, non vero creaturæ. Hæc sunt ejus verba : « Sed nec quidquam ex » his quæ constituta sunt et in subjectione sunt, com- » parabitur Verbo Dei, per quem facta sunt omnia, qui » est Dominus noster Jesus Christus. Quoniam enim sive » Angeli, sive Archangeli, sive Throni, sive Dominatio- » nes, ab eo qui super omnes est Deus, et constituta » sunt, et facta per Verbum ejus, Joannes quidem sic » significavit. Cum enim dixisset de Verbo Dei, quoniam » erat in Patre, adjecit : *Omnia per eum facta sunt et* » *sine eo factum est nihil...* Altera autem sunt, quæ con- » stituta sunt, ab eo qui constituit, et quæ facta sunt,

(1) Lib. III. cap. VI. p. 180. Ibidem post pauca dicit : *Cum autem eos qui non sunt Dii, nominat, non in totum, quemadmodum prædixi, Scriptura ostendit illos Deos, sed cum aliquo additamento et significatione, per quam ostenduntur non esse Dii.*

» ab eo qui fecit. Ipse enim infectus est, et sine initio » et sine fine, et nullius indigens ipse sibi sufficiens, et » adhuc reliquis omnibus, ut sint hoc ipsum præstans : » quæ vero ab eo sunt facta, initium sumpserunt. Quæ- » cumque autem initium sumpserunt et dissolutionem » possunt percipere, et subjecta sunt, et indigent ejus » qui se fecit; necesse est omnimodo ut differens voca- » bulum habeant apud eos etiam, qui vel modicum sen- » sum in discernendo talia habent; ita ut is quidem qui » omnia fecerit cum Verbo suo juste dicatur Deus et » Dominus solus; quæ autem facta sunt, non jam ejus- » dem vocabuli participabilia esse, neque juste id vocabu- » lum sumere debere quod est Creatoris » (1). Quibus utique verbis S. Pater hæresim Arianam, quam Wegscheider et Saisset ei affingunt, omnino a se propulsat. Asserit enim, Verbum, utpote cum Patre Creatorem, ab iis quæ facta sunt ac in subjectione ponuntur, prorsus discrepare; infectum enim esse Verbum, sine initio, sine fine, nullius indigens, sibi sufficiens, et reliquis omnibus ut sint impertiens : quæ dotes creaturæ non conveniunt; hinc fieri, ut nomina diversa utrique applicentur, ac Pater cum Verbo jure Deus et Dominus nominetur; creatura vero hoc nomine donari nonnisi injuria possit.

His adjungendus est nobilis ille locus qui lib. IV, cap. IV, n. 2. p. 231 habetur. Ibi S. Pater adversus hæreticos docet, perperam ex urbis Hierosolymæ eversione ac Legis antiquæ abrogatione colligi, non esse eumdem Veteris ac Novi Testamenti auctorem; illa enim sapientissimo Dei consilio evenisse. Hac autem occasione verba illa habet : *Omnia enim mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum. Et bene qui dixit*

(1) Lib. III, cap. VIII. p. 183.

ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum : mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum (1). Quibus verbis Irenæus palam docet, Filium esse Patri absolute æqualem. Etenim Filius non potest esse Patris immensi mensura, eumque omnino capere, quin totam Patris immensitatem, naturam ac perfectionem in se possideat. Optime Petavius (ad h. l.) : « Tanta est, *inquit*, horum verborum majestas » et dignitas, ut ad commendandam Patris et Filii omni » ex parte absolutam æqualitatem, instar sint amplissimi » voluminis. Nam si immensus est Pater et infinitus, et » hunc tamen capit ac metitur Filius, adæquari hunc cum » illo necesse est, ac perinde infinitum et immensum esse; » et cum extra infinitum nihil sit, nihil prorsus desit ei, » qui mensura est infiniti » (2). Adde, *capere magnitudinem Patris* Irenæo idem esse ac *Patri esse æqualem*, ut ipse aperte docet lib. I, cap. I. n. I, p. 5.

Aliud præclarum testimonium in lib. IV habetur, ubi Irenæus ex ipsis Christi ac Danielis verbis ostendit, Deum unum supremum esse, qui Moysi aliisque Patriarchis locutus et manifestatus est, quem Prophetæ adorarunt, quique Fœdus antiquum edidit. Sic scribit : « Dominus enim noster » et magister in ea responsione, quam ad Sadducæos » habuit, qui dicunt resurrectionem non esse, et propter » hoc inhonorantes Deum atque Legi detrahentes, et » resurrectionem ostendit, et Deum manifestavit dicens » eis : *erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei. » De resurrectione enim*, inquit, *mortuorum non legistis » quid dictum est a Deo dicente : ego sum Deus Abraham » et Deus Isaac et Deus Jacob?* et adjecit : *non est Deus » mortuorum, sed viventium :* omnes enim ei vivunt. Per

(1) Postrema verba hæc, *Et bene qui*, etc., non sunt Irenæi, sed veteris cujusdam scriptoris, cujus nomen Irenæus tacet.

(2) Præfat. in tom. II, cap. 3. n. II.

» hæc utique manifestum fecit, quoniam is qui de rubo » locutus est Moysi et manifestavit se esse Deum Patrum, » hic est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus, » nisi qui est Deus, super quem alius non est Deus? » Quem et Daniel propheta, cum dixisset ei Cyrus rex » Persarum, *quare non adoras Bel?* annuntiavit, dicens : » *quoniam non colo idola manufacta, sed vivum Deum, qui* » *constituit cœlum et terram, et habet omnis carnis domi-* » *nationem.* Iterum dixit : *Dominum Deum meum adorabo,* » *quoniam hic est Deus vivus.* Qui igitur a prophetis ado- » rabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, et Verbum » ejus qui et locutus est Moysi, qui et Sadducæos redar- » guit..... Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est » Deus, qui locutus est Moysi, qui et Patribus manifes- » tatus est » (1). Unde sic argumentari licet : Deus qui Moysi locutus est et a prophetis adorabatur, is supremus Deus est supra quem nullus alius est Deus; atqui Christus cum Patre ille Deus est qui Moysi locutus est et quem prophetæ adorarunt; ergo Christus æque ac Pater summus Deus est.

Idem etiam egregie conficitur ex ejusdem libri capite sequenti, in quo S. Doctor, refellens falsam illam verborum Christi, *nemo cognoscit Patrem nisi Filius*, etc. interpretationem, quam excogitarant Gnostici ad probandum verum Deum ante Christum non fuisse notum Deumque Veteris Testamenti non esse Christi Patrem, præclara hæc verba habet : « Neque enim Patrem cognoscere quis potest, nisi » Verbo Dei, id est, nisi Filio revelante, neque Filium, » sine Patris beneplacito... Et Patrem quidem invisibilem » et indeterminabilem, quantum ad nos est, cognoscit » suum ipsius Verbum, et cum sit inenarrabilis, ipse » enarrat eum nobis : rursum autem Verbum suum solus

(1) Lib. IV, cap. V. n. 2, p. 232.

» cognoscit Pater.... Filius revelat agnitionem Patris per » suam manifestationem. Agnitio enim Patris, est Filii » manifestatio : omnia enim per Verbum manifestantur » (1). Sicut igitur nullus Patrem cognoscit nisi Filius et cui Filius revelaverit; ita Filius a nemine cognoscitur nisi a Patre. Filius autem Patris agnitionem revelat per suam manifestationem. Patris enim agnitio, Filii manifestatio est. Hinc colligitur Filii cum Patre consubstantialitas et æqualitas. Nam si totum quod in Patre est in Filio non esset, simpliciter haud dici posset, Patris agnitionem esse Filii manifestationem, sive, quod in idem recidit, Patris agnitionem revelari per Filii manifestationem. Ceterum hæc ex iis quæ postea in eodem capite dicuntur, majorem vim accipiunt. Postquam enim S. Doctor docuit, omnes, sive ante sive post Christum, Patrem in Filio vidisse, statim subdit : « invisibile etenim Filii Pater, visibile autem Patris » Filius. Et propter hoc omnes Christum loquebantur præ- » sente eo, et Deum nominabant, sed et dæmones videntes » Filium, dicebant : *scimus te quis es*, *sanctus Dei :* et » tentans diabolus, videns eum, dicebat : *si tu es Filius* » *Dei :* omnibus quidem videntibus et loquentibus Filium » et Patrem, non autem omnibus credentibus. Oportebat » enim veritatem ab omnibus accipere testimonium ». Deinde post pauca concludit : « Non ergo alius erat qui » cognoscebatur, et alius qui dicebat : *Nemo cognoscit* » *Patrem;* sed unus et idem, omnia subjiciente ei Patre, » et ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere » homo, et quoniam *vere Deus*, a Patre, a Spiritu, ab » angelis, ab ipsa conditione, ab hominibus, et ab apos- » taticis spiritibus, et dæmoniis, et ab inimico, et novis- » sime ab ipsa morte » (2). Itaque Filius est illud quod

(1) Lib. IV, cap. VI, n. 3. p. 234.
(2) Lib. c. cap. c. n. 6 et n. 7. pag. c.

in Patre visibile est; Pater vero illud quod in Filio invisibile; vel, quod idem est, divina Patris natura, quæ invisibilis est, etiam Filii est; Filii vero manifestatio sive agnitio, Patris vicissim ostensio est, utpote unum et idem essentia seu substantia. Hinc Irenæus docet, Patrem et Filium non alium et alium, sed unum et eumdem Deum esse; Filiumque ab omnibus testimonium accepisse, quoniam vere Deus est.

Denique primaria isthæc religionis nostræ veritas efficacissime demonstratur ex verbis quibus S. Doctor hæreticorum de Æonum emissionibus placita impugnans, speciatim ostendit, λόγου à μονογενῆ productionem, prout ipsi eam intelligunt, perfectæ Dei notioni repugnare : « Ab hoc » (μονογενῆ) enim Logon et Zoën fabricatores hujus Plero» matis dicunt emissos, et Logi, id est, Verbi quidem » emissionem ab hominum affectione accipientes et addi» vinantes adversus Deum, quasi aliquid magnum adin» venientes in eo quod dicunt, a Nu esse emissum Logon: » quod quidem omnes videlicet sciunt, quoniam in homi» nibus quidem consequenter dicatur : in eo autem qui » sit super omnes Deus, totus Nus et totus Logos cum » sit, quemadmodum prædiximus, et nec aliud antiquius, » nec posterius, aut aliud alterius habente in se, sed toto » æquali et simili et uno perseverante, jam non talis » hujus ordinationis sequitur emissio.... generationem pro» lativi hominum verbi transferunt in Dei æternum Ver» bum, et prolationis initium donantes et genesin, que» madmodum et suo verbo. Et in quo distabit Dei Verbum » immo magis ipse Deus, cum sit Verbum, a verbo » hominum, si eamdem habuerit ordinationem et emis» sionem generationis » (1)? Hic ergo Irenæus declarat, verbi humani prolationem in æternum Dei Verbum a

(1) Lib. II, cap. XIII, n. 8. p. 131.

Gnosticis transferri, eosque hac in re errare docet : Verbum enim divinum, cum in Deo sit ac Deus exsistat, haudquaquam ut verbum humanum emitti potuisse ; quum Deus in se nihil non æternum aut a se diversum habeat, sed totus æqualis et similis et unus perseveret. Unde liquet, falsam esse illam Verbi a Deo emissionem quam hæretici effingunt, Verbumque ex Irenæi mente veluti personam a Patre distinctam, at ejusdem cum ipso substantiæ consortem, ab æterno exstitisse. Quam quidem Verbi æternitatem expressis verbis Irenæus tradidit. Huc etiam collimant ea quæ S. Pater alibi in eodem libro II scribit : *Non enim ut compositum animal quiddam omnium Pater, præter Nun, quemadmodum præostendimus; sed Nus Pater et Pater Nus. Necesse est itaque et eum, qui ex eo est Logos, immo magis ipsum Nun, cum sit Logos, perfectum et impassibilem esse; et eas quæ ex eo sunt emissiones, ejusdem substantiæ cum sint, cujus et ipse, perfectas et impassibiles, et semper similes cum eo perseverare, qui eas emisit* (1). Quibus iterum ex Irenæo probatur, non solum Patrem esse Nun, ac Nun Patrem, sed etiam Nun esse Logon, et Logon idcirco unius et ejusdem esse perfectionis et naturæ cum Nu et Patre. Præterea Logos a Nu emissus est; sed, ut Irenæus monet, *necesse est eas, quæ ex Nu sunt emissiones, ejusdem substantiæ cum sint, cujus et ipse, perfectas et impassibiles et semper similes cum eo perseverare qui eas emisit;* proindeque Logos eamdem cum Nu ac Patre essentiam et perfectionem possidet.

Ea quæ hactenus exposuimus Irenæi loca, sat superque ostendunt, S. Doctorem catholice de Verbi consubstantialitate sensisse. Quapropter, omissis aliis ejusdem testimoniis, quæ hanc rem magis magisque confirmarent, statim ad

(1) Lib. c. cap. XVII, n. 7. p. 139.

solvendas nonnullas difficultates quæ opponuntur, nos convertimus.

Ac primò quidem ad id quod objiciunt, Irenæum, lib. IV, capp. præsertim VI et XX *invisibilitatem* Patri, Filio vero *visibilitatem* attribuere, statim respondemus, S. Episcopum nihil aliud ibi tradere, nisi notissimam theologorum de divinis missionibus doctrinam, quam supra pag. 79 sq. paucis explicuimus. Scilicet Pater, utpote ingenitus aliarumque personarum divinarum principium, mitti nequit; missio enim divina ponit personæ missæ ab alia processionem æternam, quæ Patri non convenit. Filius vero, qui a Patre ante omnia genitus est, missionem obire valet, ideoque circumdari specie quadam visibili, sub qua conspici declaretur. Quam quidem missionem reapse Filius aliquando sustinuit. Jam vero Irenæum hoc sibi voluisse facili negotio ostenditur. Etenim S. Pater ibidem totus in eo versatur, ut contra Gnosticos doceat, Deum supremum sive Christi Patrem ante Domini adventum fuisse notum, eosque proinde errare, qui contrarium tuentur. Quod ut præstet, affirmat, Patrem invisibilem quidem esse omnibus quæ ab eo facta sunt, non vero incognitum; Filium enim eum revelare iis, quibus Pater vult manifestari; revelare autem se, visibilem sese præbendo. En verba quibus S. Irenæus suam sententiam explicat : « Quoniam qui omnia in omnibus operatur, » Deus est; qualis et quantus est, invisibilis et inenarrabilis est omnibus quæ ab eo facta sunt, incognitus » autem nequaquam : omnia enim per Verbum ejus discunt, quia est unus Deus Pater qui continet omnia et » omnibus esse præstat, quemadmodum in Evangelio scriptum est : *Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus* » *Filius, qui est in sinu Patris; ipse enarravit* (Joan. 1. 18). » Enarrat ergo ab initio Filius Patris, quippe qui ab initio

» est cum Patre » (1). Alibi : « Ab initio enim assistens » Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus » vult, et quando vult, et quemadmodum vult Pater » (2). » Paulo antea : « Sine illo (Filio) nemo potest cognoscere » Deum. Agnitio enim Patris, Filius; agnitio autem Filii » in Patre, et per Filium revelata » (3). Rursus in præcedentibus ait : « Omnibus igitur revelavit se Pater, om» nibus Verbum suum visibile faciens; et rursus Verbum » omnibus ostendebat Patrem et Filium, cum ab omnibus » videretur » (4). Quæ profecto clariora sunt, quam ut interpretatione indigeant.

Quod si quis ab Irenæo doceri cupit, cur solus Filius appareat ac Patrem revelet, missionum divinarum doctrinam veluti causam expresse tradit, his verbis : « Neque » enim Patrem cognoscere quis potest, nisi Verbo Dei, » id est, nisi Filio revelante, neque Filium sine Patris » beneplacito. Bonum autem placitum Patris Filius perfi» cit : mittit enim Pater, mittitur autem et venit Filius. » Et Patrem quidem invisibilem et indeterminabilem quan» tum ad nos est, cognoscit suum ipsius Verbum, et cum » sit inenarrabilis, ipse enarrat eum nobis : rursum autem » Verbum suum solus cognoscit Pater : utraque autem » hæc sic se habere manifestavit Dominus. Et propter hoc » Filius revelat agnitionem Patris per suam manifestatio» nem. Agnitio enim Patris, est Filii manifestatio : om» nia enim per Verbum manifestantur » (5). Quasi diceret : Nemo novit Patrem nisi Filius et cui Filius revelaverit, Filius autem Patrem revelat sese manifestando, se vero non manifestat nisi ex Patris beneplacito, nec bonum

(1) Lib. IV. cap. XX, n. 6 et 7. p. 255.
(2) Lib. c. cap. VI, n. 7. p. 235.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem. n. 5.
(5) Lib. IV. cap. VI, n. 3. p. 234.

Patris placitum Filius perficit, nisi a Patre mittatur. Ex quo manifeste patet, Filium ubi videtur, ibi vi ac ratione missionis a Patre acceptæ videri; quod erat probandum. Adde, Irenæum aperte docere, Verbum non in propria natura, sed in forma assumpta se videndum præbuisse; quod duplici argumento efficitur. Prius autem ex lib. IV, cap. XX petitur, unde difficultas potissimum hausta est. Ibi enim S. Doctor ait (n. 10) : « Manifestum » est quoniam Pater quidem invisibilis, de quo et Domi» nus dixit : *Deum nemo vidit unquam.* Verbum autem » ejus, quemadmodum volebat ipse, et ad utilitatem vi» dentium, claritatem monstrabat Patris, et dispositiones » exponebat.... non in una figura, nec in uno charactere » videbatur videntibus eum, sed secundum dispensationum » ejus causas sive efficaciam, sicut in Daniele scriptum » est. Aliquando enim cum his qui erant circa Ananiam, » Azariam, Misaëlem videbatur adsistens eis in fornace » ignis, et in camino, et liberans eos de igne : et *visio*, » inquit, *quarti similis Filio Dei.* Aliquando autem *lapis* » *a monte abscissus sine manibus*, et percutiens temporalia » regna, et ventilans ea, et ipse replens universam ter» ram. Rursum hic idem videtur quasi Filius hominis in » nubibus cœli veniens, et appropinquans ad veterem » dierum, et sumens ab eo universam potestatem, et » gloriam, et regnum » (1). Ex quibus colligitur, Verbum non in sua, sed in aliena natura visum fuisse. Alterum vero argumentum inde desumitur, quod Irenæus non solum naturam divinam cum Patre communem proindeque invisibilem in Filio absque dubio agnoverit, uti vidimus, sed etiam Verbum invisibile declaraverit. Sic lib. III, cap. XVI, n. 6. p. 206 scribit : « Unus Christus » Jesus Dominus noster, veniens per universam disposi-

(1) Lib. IV. cap. XX, n. 11. Cfr. etiam nn. 8, 9, 10.

» tionem, et omnia in semetipsum recapitulans. In omnibus » autem est et homo, plasmatio Dei : et hominem ergo » in semetipsum recapitulans est, *invisibilis visibilis* factus, » et incomprehensibilis factus comprehensibilis, et impas- » sibilis passibilis, et Verbum homo ». Idem lib. IV, cap. XXIV, n. 2, p. 260 asserit : « esse.... unum Deum » qui est super omnem principatum et dominationem, et » potestatem et omne quod nominatur; et hujus Verbum » *naturaliter quidem invisibile*, palpabile et visibile in » hominibus factum ». Ex quibus omnibus certo probatur, nihil contra Verbi consubstantialitatem ex eo erui posse, quod Irenæus quamdam visibilitatem hic illic Verbo tribuerit.

Sed jam exponendum est aliud Irenæi assertum, quo dicit, Patrem Verbo *præcepisse,* ut mundum crearet. Non desunt enim, qui hanc locutionem perperam intelligant, eamque multum urgeant contra orthodoxam ipsius de Verbo sententiam. Verumtamen id nullo jure faciunt. Nam ibi S. Pater non proprie, sed improprie *præcipiendi* nomen accepit, id est, non eo sensu hanc vocem usurpavit, quasi Pater cuipiam alterius a se naturæ seque inferiori præceptum dederit, sed quatenus Pater Filio unius et ejusdem numero cum eo naturæ omnimodæque æqualitatis consorti mandavit. Quod evidentissime constat, tum ex verbis, quibus absolutam Filii cum Patre ὁμοούσιαν et æqualitatem antea monstravimus; tum etiam ex ipso loco, qui opponitur. In eo enim doctissimus episcopus Verbum ab iis, quæ facta sunt ac *in subjectione* locantur, omnino secernit; illudque exhibet veluti infectum, sine initio, sine fine, nullius indigens, sibi sufficiens, ac reliquis omnibus ut sint elargiens, Dei Dominique tituli jure particeps; quamquam tamen creaturæ, Irenæo teste, hujusmodi nomine insigniri nequeant (1). Quæritur autem utrum, admissa Verbi cum

(1) Vide quæ ad h. l. notavimus p. 123.

Patre consubstantialitate et æqualitate, recto aliquo sensu dici possit, Patrem Verbo mandasse ut omnia conderet? Cui quæstioni respondetur, id certo fieri posse, quatenus nempe decretum creandi mundum Filiique missio ad illud exequendum, primum a Patre, si personarum divinarum ordinem respicias, tanquam a fonte promanaverint. Unde fit, ut Pater Verbo eo sensu præcepisse recte dicatur, quod illi decretum creandi mundum communicaverit missionemque ad illum creandum tribuerit. Ceterum hujusmodi locutionem adhiberi posse, salva Filii consubstantialitate et æqualitate, extra dubium est; nam acerrimi earum veritatum defensores hanc locutionem etiam adhibuerunt, veluti Athanasius, Hilarius, Basilius, aliique. Denique accedit, quod Irenæus hanc dictionem merito usurpaverit, ut contra Gnosticos ostenderet, mundum non fuisse conditum præter Patris sententiam, sed ipso Patre volente, imo vero jubente.

Alterum porro opponunt inde sumptum, quod sanctissimus Lugdunensis Episcopus, *ministri* functionem in rerum creatione Verbo tribuerit. Sed nihil negotii isthæc oppositio facessit; nam sicut Filius, salva sua cum Patre consubstantialitate et æqualitate, præceptum improprie dictum ab eo suscipere potest, ita et Patris administer Patrique ministrare sensu improprio et catholico dici valet. Verbum enim in creatione rerum peragenda non modo decretum primum a Patre ortum missionemque a Patre acceptam exequitur, sed creationem etiam perficit juxta ideas ac per potentiam et actionem quas Pater per generationem æternam ipsi communicavit : ut adeo Pater per ipsum universa condiderit. Hac autem significatione Filius Patris administer rite appellatur. Quod Irenæus vero hanc vocem sensu improprio usurpaverit, vel ex locis qui objiciuntur, invicte patet. Sic ex g. lib. IV, n. 4. p. 236 loquitur : « Neque rursus indigente (Patre) ministerio ad fa-

» bricationem eorum quæ facta sunt, ad dispositionem » eorum negotiorum, quæ secundum hominem erant; sed » habente copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat » enim ei ad omnia sua progenies et figuratio sua, id » est, Filius et Spiritus Sanctus, Verbum et Sapientia, » quibus serviunt et subjecti sunt omnes angeli. » Ubi S. Doctor, postquam asseruit, Patrem sive Deum supremum, Æonum, id est, creaturarum præ ceteris nobilium, ministerio ad rerum creationem et dispositionem eorum quæ hominem respiciebant non indiguisse, statim addit, Filium et Spiritum S. ipsi ad illa peragenda ministrasse; sed illud ministerium, quod Patri præstiterunt, non est ministerium proprie dictum, siquidem inenarrabile declaratur. Atque hæc dicta sufficiant ad Irenæi doctrinam de Verbi consubstantialitate exponendam.

MONITUM.

Lectores meos dolens moneo, ea quæ de Patribus III sæculi scripseram, non potuisse a me typis exscribi, quum ad hoc præstandum non satis temporis suppeteret ante doctoralem instituendam disputationem.

THESES

I.

Ex argumentis philosophicis ineluctabiliter evincitur, existere ens a se, æternum, necessarium, independens, personale summeque perfectum, quod Deum vocamus.

II.

Falsò aliquando opinati sunt Bautain (1) et Bonnety (2), hominem absque fidei supernaturalis auxilio ad Dei cognitionem *certo* pervenire non posse.

(1) In libro cui titulus : *Philosophie du Christianisme.*
(2) In ephemeridibus : *Annales de Philosophie chrétienne.*

III.

Homo debitum obsequium et honorem Deo præstare tenetur, quocumque modo Deus voluerit.

IV.

Voluit Deus ut homo præter religionem naturalem etiam supernaturalem coleret, quam ei revelatione positiva manifestavit.

V.

Ad divinam revelationem dignoscendam homini suppetunt miracula et prophetiæ, quæ sunt voluntatis divinæ positivæ signum supernaturale omnino certum.

VI.

Christus Dominus divinam Religionis, quam instituit, originem miraculis proprie dictis comprobavit.

VII.

Non privato hominum arbitrio doctrinæ suæ depositum Christus permisit, sed illud Ecclesiæ suæ custodiendum commisit.

VIII.

Ecclesia doctrinæ Christianæ magistra quoque infallibilis est.

IX.

Gravissime errant acatholici dum contendunt, membrorum inæqualitatem, quæ in Ecclesia cernitur, non a jure divino sed ab humano tantum esse repetendam.

X.

Christus in sua Ecclesia honoris et jurisdictionis instituit primatum, quem S. Petro contulit. Ex Joan. cap. XXI, v. 15 sqq. luculentissime hoc conficitur.

XI.

Omni fundamento caret distinctio quam facit Febronius inter Primatûs Pontificii jura *essentialia* et *adventitia*.

XII.

Primatus ex Christi institutione non soli Petro competit, sed etiam Romanis Pontificibus, ejus successoribus.

XIII.

Romanus Pontifex, de rebus fidei et morum *ex cathedra* definiens, infallibilis est, ut Matth. XVI, 15-20 perspicue docetur.

XIV.

Inter articulos, quos Ecclesia fidei nostræ proponit, primus est Dei unitas, quam et ipsa ratio docet.

XV.

Quamvis Deus sit omnino simplex, datur tamen distinctio *virtualis* inter attributa divina sive hæc cum essentia, sive inter se comparentur.

XVI.

Tres personas inter se distinctas in Deo agnoscimus, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, qui unam eamdemque numero naturam habent.

XVII.

Nullam vim habent argumenta quibus plerique hujus ætatis increduli ostendere volunt, primarium illud fidei nostræ dogma non fuisse a Christo revelatum, sed ex Platonis philosophia in Ecclesiam inductum.

XVIII.

Neque majoris ponderis sunt eorum rationes, qui dogma Trinitatis ex Philonis Judæi commentis oriundum esse contendunt.

XIX.

Nullo præterea fundamento nititur illorum sententia, qui theologicam de Trinitate notionem repetunt a vi quam Neoplatonicorum placita in Religionem Christianam exercuerint.

XX.

Quamquam sanctissimæ Trinitatis mysterium intellectûs humani vires longe superat, nunquam tamen ostendi poterit illud rectæ rationi adversari.

XXI.

Verba S. Joannis Epist. I, cap. V, v. 20 firmissimum nobis suppeditant argumentum ad probandam Verbi seu Filii Dei divinitatem.

XXII.

Contra Wegscheider (1), Saisset (2), Vacherot (3),

(1) *Institt. Theol.* § 88.
(2) *Essais sur la philosophie et la religion au XIX*me *siècle*, p. 158.
(3) *Histoire critique de l'école d'Alex.* t. I, p. 241.

Læmmer (1) aliosque contendimus, Tertullianum catholice omnino de Filii divinitate sensisse.

XXIII.

Nihil intentatum reliquerunt rationalistæ ut falsam de Λογῳ doctrinam Clementi Alexandrino adscriberent. Guerike (2) affirmat, Verbum ex Clementis sententia singularem hypostasim et Deum esse, a Patre natura ac potestate diversum; Wegscheider (3) Clementem *subordinatianismi* insimulat illumque ut auctorem doctrinæ de Λόγου emanatione exhibet; Saisset (4), Otto (5), Læmmer (6), Platonismum eidem affingunt; Vacherot (7) Clementis doctrinam ita describit ac si is Verbum extra naturam divinam posuisset, essentialemque Patris et Filii personarum inæqualitatem propugnasset; denique Dæhnius (8) Neoplatonicorum de νῷ sententiam illi tribuit. Sed hos omnes omnino errasse nobis certum est.

XXIV.

Quid Origenes de Verbi consubstantialitate docuerit, multum adhuc controvertitur. Attamen, omnibus attentis, illum orthodoxam de hac veritate fidem habuisse contra recentiores quosdam aggressores (9) defendimus.

XXV.

Falsum est quod Saisset de novo affirmavit, scilicet

(1) *Clementis Alex. de Λόγῳ doctrina*, p. 48, not. 7.
(2) *De schola quæ Alexandriæ floruit catechetica*, part. 2. p. 133 sq.
(3) Lib. c, § 88.
(4) Lib. c, p. 158 sq.
(5) *De Justini martyris scriptis et doctrina*, p. 79.
(6) Lib. c. p. 53 et 66.
(7) Lib. t. I, p. 298.
(8) *De γνώσει Clem.* p. 95 sq.
(9) Guerike, lib. c. part. 2, p. 197 sqq.; Wegscheider, lib. c. l. c.; Vacherot, lib. c. p. 264 sqq.; alii.

vocem ὁμοούσιον fuisse in Antiochena adversus Paulum Samosatenum Synodo rejectam (1).

XXVI.

Ex sacris Novi Testamenti litteris evincitur, Spiritum Sanctum vere et proprie Deum esse.

XXVII.

Sanctus Paulus ad Rom. cap. VIII, v. 9, Spiritus Sancti *a Patre Filioque* processionem apertissime docuit.

XXVIII.

Perperam Græci schismatici Latinos corrupti symboli accusant, eo quòd particulam *Filioque* Symbolo Constantinopolitano addiderunt.

XXIX.

Deus Triunus omnipotenti sua virtute omnia ex nihilo condidit. Erroris igitur arguimus eos omnes qui affirmant, aut res fuisse creatas ex *materia præjacente*, aut creaturas non esse nisi *emanationes* vel *modificationes* substantiæ divinæ.

XXX.

Tantum abest ut creatio ex nihilo rectæ rationi adversetur, ut contra ope rationis ostendi possit, rerum originem aliter explicari non posse.

XXXI.

Inter res creatas præ ceteris eminent angeli quorum aliqui in custodiam hominum a Deo deputantur.

(1) Lib. c. p. 164.

XXXII.

Falso docet Wegscheider : « Singula dæmonologiæ bi-
» blico-ecclesiasticæ placita, ea præsertim quæ ad effectus
» dæmonum spectant, ita esse comparata, ut neque cum
» vera philosophia ullo modo conciliari possint..... neque
» cum aliis quibusdam Scripturæ sacræ præceptis, quæ
» numinis divini naturam optime declarant » (1).

XXXIII.

Angelis proximi sunt homines qui ceteris creaturis visibilibus dignitate præcellunt. Ab uno autem homine, qui est Adam, omne genus humanum propagatum est in universam terram.

XXXIV.

Primus homo a Deo constitutus est in justitia et sanctitate. Hoc fides docet contra Pelagianos aliosque qui nullum supernaturale donum Adamo a Deo concessum fuisse volunt.

XXXV.

Status autem justitiæ et sanctitatis, ad quem Adam a Deo elevatus est, non erat eidem debitus.

XXXVI.

Adamus vero non diu in hoc sublimi statu perstitit. Cum enim mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in qua constitus fuerat amisit, incurritque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem quam antea illi comminatus fuerat Deus et cum morte captivita-

(1) Instit. theol. § 106.

tem sub ejus potestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, Diaboli, totusque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatus est (1).

XXXVII.

Verum Adamus per hujusmodi prævaricationem non sibi soli sed et suæ propagini nocuit; et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam quam perdidit non sibi soli, sed nobis etiam perdidit; et inquinatus ille per inobedientiæ peccatum non mortem et pœnas corporis tantum, sed et peccatum, quod est mors animæ, in omne genus humanum transfudit (2). Hoc ex Apost. ad Rom. cap. V, v. 12-14, firmissime probatur.

XXXVIII.

Immerito contendunt increduli catholicam de immaculata beatissimæ virginis Mariæ conceptione fidem dogmati catholico de peccati originalis in omnes homines transfusione repugnare.

XXXIX.

Perperam quoque asserunt increduli, Ecclesiæ Catholicæ de primigenia labe doctrinam rectæ rationi adversari.

XL.

Hominem adeo misere lapsum Deus non deseruit, sed illum pro sua immensa clementia a peccato liberavit, mittens ad eum Filium suum unigenitum, ut salvaretur per ipsum.

(1) Concil. Trid. sess. V.
(2) Ibid.

XLI.

De Christo cum Patribus concilii Chalcedonensis profitemur : « eumdem perfectum in Deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, » eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis » eumdem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato » (1).

XLII.

Rectissime symbolum S. Athanasii dictum de Christo docet : « Licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus » est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in » carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ ».

XLIII.

Christus non solum qua Deus, sed etiam ut homo, verus, proprius et naturalis est Dei Filius, non adoptivus.

XLIV.

Beatissima virgo Maria vere est ac proprie θεοτόκος, cum æternus Dei Filius in novissimis temporibus ex ea carnem assumere nascique voluerit.

XLV.

Ut pium ac legitimum defendimus cultum, quo sacratissimum cor Jesu non solum ut amoris symbolum sed etiam ut pars humanitatis Christi corporea adoratur.

XLVI.

Pessime docuit Socinus : « Jesum Christum ideo Serva-

(1) Mansi, t. VII, p. 116; Harduin, t. II, p. 456.

» torem nostrum esse, quòd salutis æternæ viam nobis » adnuntiarit, confirmarit, et in sua ipsius persona tum » vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifeste » ostenderit. Divinæ autem justitiæ per quam nos pecca- » tores damnari meremur pro peccatis nostris, neque illum » satisfecisse, neque ut satisfaceret, opus fuisse » (1).

XLVII.

Christus Dominus sua passione omnes gratias ad salutem necessarias nobis promeruit.

XLVIII.

Homo per gratiæ divinæ adeptionem vere ac intrinsece justus efficitur, prout docet S. Paulus ad Rom. cap V, v. 19.

XLIX.

Hominem absque gratiæ interioris auxilio nihil in re salutis velle aut operari posse, expresse docet Apostolus ad Phil. cap. II, v. 13.

L.

Bona vero justorum opera in statu gratiæ facta vitam æternam promerentur.

LI.

Falluntur ii qui ex Epist. ad Rom. cap. v. 28-32 *prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita* probari posse existimant.

LII.

Ad meritum proprie dictum non requiritur ut opus sit

(1) De Christo Servat. c. 1.

supererogationis, sive non præceptum, sed sufficit opus præcepto impositum.

LIII.

Necesse autem est ad opus meritorium, ut sit non solum liberum et voluntarium, sed etiam honestum sive morum regulis consentaneum.

LIV.

Etsi perfectius agit qui legem ex motivo charitatis adimplet, non tamen necessario requiritur, ut lex ex charitate impleatur, nisi charitas ipsa ad essentiam legis pertineat; sicut nec requiritur intentio implendi præceptum, sed sufficit intentio sive voluntas faciendi id quod præceptum est.

LV.

In rudibus dari potest ignorantia practice invincibilis eorum quæ ex primis juris naturæ principiis non ita difficile deducuntur; imo in ipsis literatis haberi potest similis ignorantia eorum quæ remote admodum et difficulter ex iisdem eruuntur principiis. Hæc autem ignorantia operantem a peccato formali excusat.

LVI.

Ad peccatum formale requiritur actualis quædam advertentia ad actûs malitiam vel ejus periculum.

LVII.

Omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur per sacramenta, quæ dignitate et necessitate inter se differunt.

LVIII.

Sacramenta Novæ Legis non sunt nuda et vacua signa quæ gratiam solum significant, sed sunt signa efficacia quæ gratiam continent eamque non ponentibus obicem conferunt *ex opere operato.*

LIX.

Sacramenta quæ valida esse possunt et informia, sublato obice, reviviscunt, exceptâ Eucharistiâ, ac effectus suos producunt secundum mensuram dispositionis illius qui obicem aufert.

LX.

Primum omnium sacramentorum est baptismus, qui ad salutem necessarius est, dicente Joanne (cap. III) : *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

LXI.

Baptismi sacramento reatus peccati originalis deletur, totumque id tollitur, quod veram et propriam peccati rationem habet.

LXII.

Sicut baptismus omnia sacramenta necessitate superat, ita omnibus dignitate præstat Eucharistia. In ea enim Christus vere, realiter ac substantialiter præsens est, ut ex Joan. cap. VI egregie conficitur.

LXIII.

Christus autem adest in Eucharistia per mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manen-

tibus dumtaxat speciebus panis et vini : quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat (1).

LXIV.

Eucharistia vero ita a Christo instituta est ut non solum sacramenti, sed etiam veri et proprie dicti sacrificii rationem habeat.

LXV.

Pœnitentia Novæ Legis sacramentum est pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum (2). Omnibus post baptismum in mortale lapsis in re vel in voto ad justificationem necessarium est.

LXVI.

Ad sacramentum autem pœnitentiæ tres pœnitentis actus concurrunt, qui sunt materia proxima hujus sacramenti : contritio, confessio et satisfactio. Inter tres vero illos actus hoc discrimen intercedit, quod contritio et confessio sint partes sacramenti *essentiales*, satisfactio vero dumtaxat *integralis*.

LXVII.

Contritio alia perfecta est, quæ ad sacramentum pœnitentiæ non requiritur, alia imperfecta, quæ sufficit. Ad contritionem autem imperfectam amorem Dei super omnia benevolum non requiri, nobis moraliter certum apparet.

LXVIII.

Merito Extrema Unctio inter Ecclesiæ sacramenta nu-

(1) Concil. Trid. sess. XIII, can. II.
(2) Concil. Trid. sess. XIV, can. I.

meratur. Cum vero sacramentum vivorum sit, statum gratiæ requirit in eo qui ungitur. Si tamen is in peccato esset, sed attritionem haberet, qualis in sacramento Pœnitentiæ sufficit, ex communi theologorum sententia docemus, illum Unctione Extrema, utpote Pœnitentiæ suppletiva, justificari; et hoc quidem conforme est verbis Apostoli Jacobi dicentis : *si in peccatis sit, dimittentur ei.*

LXIX.

Matrimonium quoque verum est ac proprie dictum Novæ Legis sacramentum a Christo Domino institutum. Errant ergo novatores, qui illud e numero sacramentorum expungunt.

LXX.

Matrimonium initum ex gravi metu, rationis tamen usum non adimente, non est jure naturæ, sed jure ecclesiastico irritum.

LXXI.

Immerito nonnulli docuerunt raptum *seductionis* esse impedimentum dirimens matrimonii.

LXXII.

Non consentimus iis qui volunt omnes censuras quas episcopi extra synodum diœcesanam ferunt dici debere *ab homine* latas.

Vidit S. Facultas Theologica.

H. J. Feye, S. Fac. p. t. Decanus.
P. Van den Broeck, S. Fac. p. t. a Secretis.

Vidit Rector Universitatis.

P. F. X. de Ram.

INDEX.

Præfatio. VII

Prooemium, *in quo agitur de notione vocis* consubstantialis *et tractandæ quæstionis status explicatur.* 1

CAPUT PRIMUM.

PATRUM APOSTOLICORUM DOCTRINA DE VERBI CONSUBSTANTIALITATE EXPENDITUR.

Articulus I. Patres qui certo pertinent ad ævum apostolicum.

§ 1. *S. Clemens Romanus.* 11

§ 2. *S. Ignatius.* 15

§ 3. *S. Polycarpus.* 23

Articulus II. Patres, de quibus controvertitur utrum nec-ne ad apostolicum ævum pertineant.

§ 1. *Auctor epistolæ quæ S. Barnabæ tribuitur.* 26

§ 2. *Auctor libri qui Pastor inscribitur.* 29

§ 3. *Auctor epistolæ ad Diognetum.* 33

CAPUT SECUNDUM.

PATRUM SECUNDI ET TERTII SÆCULI DOCTRINA DE VERBI CONSUBSTANTIALITATE DECLARATUR.

PRÆMITTITUR INQUISITIO DE λόγῳ PLATONIS, PHILONIS JUDÆI ET NEOPLATONICORUM. 38

A. *De* λόγῳ *Platonis.* 39

B. *De* λόγῳ *Philonis.* 47

C. *De* λόγῳ *sive* νῷ *Neoplatonicorum.* 55

Articulus I. Patres secundi sæculi.
§ 1. *S. Justinus.* 60
§ 2. *Tatianus.* 84
§ 3. *Athenagoras.* 93
§ 4. *S. Theophilus.* 101
§ 5. *S. Melito.* 110
§ 6. *S. Irenæus.* 116
Theses. 135

FINIS.

ERRATA.

Pag.	lin.	*Corrigenda*	*Corrige*
9	13	sanctissimi ii doctores	S. Athanasius et S. Hilarius
9	14	post *fuisse objectum*	adde *et S. Basilius rem minus perspectam habuit*
56	18	ex ipso Plotini libro	ex ipsis Plotini libris

233.2
J 174
27308
JADOT, FRANCIS JOSEPH
AUTHOR Patrum Antenicaenorum de
Verbi Consubstantialitate Doctrina
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

27308